
















PENTAGONVM SALVTIS
Y
Γ
I
ΕΙ
A
PESTIS
NEAPOLITANA
ROMANA ET
GENVENSIS
ANDREÆ
VALERIO
SENATORI
MAX.
D.
HONOS
VIRTVS


BIBLIOTHEC THERESIANA

PESTIS
NEAPOLITANA
ROMANA
ET
GENVENSIS
ANNORVM
1656. & 1657.

Fideli narratione delineata
et Commentarijs illustrata.

DICTANTE
Suis Medicinæ Practicæ studiosis

PETRO à CASTRO
D.M.Physico Veronensi



Veronæ Typis Rubeanis anno 1657.
Superiorum Permissu.

Imprimatur.

Inquisit. Gen. Veronæ


Noi Reformatori dello ſtudio di Padoua

Hauendo veduto per fede del Padre Inquiſitore Generale di Venetia, che nell'Hiſtoria intitolata Peſtis Neapolitanæ per D. Medicum Caſtrum, non vi è coſa contra la S. Fede Catt. & parimenti per atteſtato del Segret. noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che ſij ſtampata, douendoſi oſſeruar le leggi in queſto propoſito, & preſentarne due copie nelle librerie noſtre publiche di Venetia, & di Padoua.

Dat. li 25. di Agoſto 1657.

Lunardo Emo Reform.
Giouanni Peſaro Cau. Proc. Refor.
Andrea Contarini Cau. Proc. Ref.

Franciſco Verdiſoti Segr.



Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo
Domino

ANDREAE VALERIO

D. Meo Collendiſs.

Salutem.



Rdebant Peſtilenti incendio proximi parietes, SENATOR INCLYTE, cum prouida rerum, & benè cauta alma Venetorum Reſpublica, chara Sapientum altrix, & vnicum totius orbis prudentiæ Seminarium, virum ambiebat, qui ab HYGIIAE ſacro propugnaculo, florentiſsimum Dominium à

funeſtis, & horrendis peſtilentiæ minis VALERET Viriliter aſſerere. En inter tot claros Heroas quibus ad Europæ gloriam,& Aſiæ terrorē ſuperba ſtipatur, te vnum ANDREAM VALERIVM prudens elegit, in cuius vel ipſo nominis veſtibulo, natalitia quadam, ac fatali VALERIAE Gentis neceſſitudine, VIRI, FORTIS ac VALIDI, ſpecimen eluceſcere conſpiciebat; hinc fauſtum omen capeſcens virtutis, animique, procedente tempore, ad ſummum gloriæ cumulum peruenturi, & quia etiamnum à iuuentute, indole Sapientem, ſtudio ad res magnas propenſum, natumque ad Rempublicam tractandam te cognouit, non diu, paſſa eſt, hac vitali aura, & ſanguinis arterioſi generoſa portione deſtitui, diffuſum in extrema corporis

Rei-

Reipublicæ membra Spiritum quamprimum in Cor reuocat, vt in nobiliori, & magis apta sede, vtriusque Palladis Venetæ tractaret alta mysteria, namque.

Ingenium Cæleste suis velocius annis.
Surgit, & ignauę fert male damna moræ.

Supremã tamen legem SALVTEM POPVLI esse rata, in hoc Veronensi salutis munimento te præsidem collocauit, quod tu SENATOR AMPLISSIME multo nobiliori symbolo quã SOTER ille SYRIVS in pentagonũ edificasti: illi per nocturnã imaginem, visum narrant, magnum adstitisse Alexandrum, qui mandaret tesseram salutis pentagono inclusam daret militibus aduersus Galatas pugnaturis, nec defuit felix euẽtus: tibi SOTERI VENETO



non per somniũ, aut nocturna phan-
tasmata, sed per vigilias, & diur-
nam solertiam verè adstitit Magnus
BERTVCIVS Tesseram confe-
rens salutis publicæ, quã pro securi-
tate patriæ propugnaturis subditis
posses impertiri; hãc tu SENATOR
MAGNE, incõparabili PIETATE
inimitabili PRVDENTIA, ardẽtissi-
mo ZELO, indefessa VIGILANTIA,
IVSTITIA tãdẽ inuiolabili ita Pen-
tagonam effecisti, vt non prius pa-
læstram laborum deserueris, quam
ab oris Italiæ pestis expulsa. Tali-
bus armis, talibus ministris instructi
Veneti Principes tuti possunt fla-
grantes vicinos parietes adspicere,
& inter horrendas pestium strages
iratum numen ingenita religione
placare, & vigilanti sollicitudine
furentes crudeles Erynnes coerce-
re. Sub his igitur adeo gloriosis
au-

auſpicijs, cui rectius has meas lucubrationes, & vigilias dem quam vigilantiſsimo publicæ ſalutis excubitori? cui monita mea publica quam conſultori prudentiſsimo? cui particularia, quam populi amantiſſimo aſſertori? cui tandem duram pereuntium ſortem enxius enarrem, quam tenerrimo, ac humaniſsimo patriæ parenti? nulli hercle iuſtius, nam tua ſunt hæc, quia tuus ego, corde, obſequio, ſeruitute, hos igitur audaces amoris impulſus noli temeritati vertere, aut malè ferre, tibi viro eruditiſsimo, ac informatiſsimo nuncupari informem iſtum, ac infirmum partum clientis tui addictiſsimi, immò faue cæptis, & vlteriora in ſtudijs meditantem foue, & ſub alis Reginæ tuæ Alitis tutare, cuius iuuentutis Ananeoſim in te permittat

D. Opt. M. & in æuum ſuſpiciat fœlix patria. Vale Senator meritiſsime, ab.

Illuſtriſſimæ atq; Excellentiſsimæ tuæ Dominationis.

Obſequentiſſ. atque Deuotiſſ. Seruo

Petro à Caſtro

IN-

INDEX.

A

B

Bubo-

Cibi

Euacua-

H

I

L

Lu-

INDEX.

O

P

Pestis

In

INDEX.

Som-

INDEX.

V

Er.


Errata sic corrige.

p.6. l.6. l. Plethoram
p.9. l.23. l. hepar
p.14. l.23. l. stylus
p.15. l.8. l. grassantis.
p.20. l.1. l. Romanis
l.7. l. substantia cordis
p.43. l.12. l. pariter.
p.46. l.19. l. vim.
p.47. l.4. l. plebeij.
l.5. quibus ut plurimum
l.9. penes quos
p.50. l.17. l. corruptione
l.21 l. sola.
p.57. l.9. l. mollitie.
p.61. l.4. l. prima
p.62. l.3. l. praeferebant
p.62. l.13. l. pituita.
p.64. l.1. profundiorem
p.66. l.2. l. faciei
p.67. l.7. l. spiritus
p.68. l.14. l. Diarrhœa
p.69. l.9. l. irritationẽ
l.14. l. orgasmum
p.75. l.20. l. nobis
p.77 l.22. l. maculis
p.68. l.18. l. dissémina
p.79. l.1. l. pragressam
p.80. l.5. versiculis
l.9. l. carbones
p.81. l.6. l. corrupto
l.9. l. comburatur
p.83. l.7. l. pessimus
l.8. l. permulti
p.84. l.3. l. laesione
l.8. l. imbecillitate
p.85. l.15. l. eiusdem
p.88. l.7. l. praestantissimis
l.21. l. prognosis
p.89. l.6. l. consideratio
l.22. l. ager
p.91. l.2. l. praesertim
l.9. l. inappetentiam.
l.14. l. ipsius
p.92. l.16 l. pestifera
l.21. l. ecclipses
p.93. l.8. l. praecipuè
l.10 l. paucitas, auium
p.94. l.3. experimenta non potest.
l.17. l. adhaesiones.
p.95. l.9. l. canonica
p.96. l.4. l. alexipharmaci

l.23.

l.23. nescitur
p.97. l.8. putrida.
p 99.l.12. malignitates
p.100. l.23 l.maximè
p.184 l.6.l.delicta
l.8. l. inter
l.10. l.propheta
l.13. l. irascitur
p.203. l.21.l. vniuscuiusq;
p.217. l.7. l.saxatiles
p.95.l.9.canonice.
p.225.l.1.parcitre
p 228. l. 3. l.adauctum
p.252 l. loimicum
l.14.l.sæuiter
p.254 l.17. l.acetosa
l.27. l.sem 4.
l.39. l.santal. rubr.
p.125. l.9. l.vnc.ij.
l.14. l.succis
p.259.l.6. l. agrimon.

Reliqua Pro tua prudentia Lector corrige.



BIBLIOTHECA

MEDICI ERUDITI.

BIBLIOTHECA
MEDICI ERVDITI.

PETRO A CASTRO
BAYONATE
Auctore.
MEDIC. VERON.



PATAVII, M.DC.LIV.

Typis Io. Baptistæ Pasquati.

Superiorum permissu.

Clari

PHI

AC

D. Da

D. Io.

D.Seba

D. Fran

D. Petr

D.Io.T

D.And

D.Geo

Suis

PETR



nnensi

Clarissimis atq; Excellentiss.

PHILOSOPHIAE,

AC MEDICINAE DD.

D. Dauidi Stollio Patritio Gedan.
D. Io. Edoardo Timæo nob. Pom.
D. Sebast. Ciconiæ Veron. Med. Coll.
D. Franc. Chiocco nob. Veron.
D. Petro Hegerfeld Dano.
D. Io. Todescho à Todeschis Colon.
D. And. Maderno Ver. Coll. Ven. M.
D. Georg. Christiano Steberlino Nor.

Suis dilectiss. Praxeos Studiosis

PETRVS A CASTRO M.

S. D.



Mbulante Bibliotheca exornari tironem Medicum, Clarissimi iuuenes, ambiebat magnus ille Veronensium Medicorũ Apollo Fran-

ciſcus Pona, & vt Apollinem decent Oracula, docta obſcuritate rem obuelauit: ambigue loquutus eſt, prudenter tamen, vt multa paucis comprehenderet, & ſingulis ingenijs oportunũ offerret alimentum. An dum ambulantem quærit, leuem exoptat, arctam nimis, aut inopem Muſarũ ſupellectilem? An imperitam ſuadet Scriptorum notitiam? Neutiquam ſanè: nõ equidem ſub immenſo codicum onere ſuccumbere ſtudioſum animus eſt, cum importuna librorum multitudo remora ſit potius ſtudiorum, quam diſciplinarum penarium, ſed mediocrem & honeſtum numerum, in quo velut in tabella geographica totius imperij medicinæ ſingulæ regiones delineatæ cõſpiciantur. Supplebit authorum defectum ambulans Bibliotheca. Sed quænam ea ſit quæritis? Audite ſoluentes ora-

culum

culum Platonē, & Hippocratē, qui Orbem peragrando, Philosophiæ ac Medicinæ principatum, ducto ad vmbilicum naturæ volumine merito adepti sunt; peregrinationem intelligent in diuersas Orbis partes, vt vir cum Homero prodeat sapientissimus, qui mores hominum multorum viderit, & Vrbes. *Vtilissimam, Gymnasiorum Europæ perlustrationem, in quibus cum inclitis litterariæ Reipublicæ principibus ineantur erudita fœdera. Sed sollertissimus Pergamenus nodum aliter soluit: nimirum medicum etiam postulat ambulantem, nunquam incautum, nunquam inermem, sed promptum semper oportuna facere, ne vrgente malo, ad euoluenda volumina cum dedecore cogatur refugere, sed sagaciter omnem mente & iudicio versans librorum copiam, cunctis*

exem-

exemplo presto sit symptomatum periculis. Nec Oedipus Aristoteles Sphyngem relinquetintactam, vt extricet, vt aperiat: ambulans ipse vt docebat philosophari, sic videtur Bibliothecam exigere ambulantem studioso Medico, cui nec deambulanti quidem quicquam aliud sit cogitandum, quam de arte Medica, quæ totum desiderat hominem, perfectius excolenda. Hactenus antiqui. Sed & ænigmatum peritissimi coniectores neoterici, Fernelius, Vallesius, Mercurialis, Sennertus, Fracastorius, & sexcenti, ad mentem autoris rem diligentius expenderunt. Ambulantes construxere & ipsi Bibliothecas, non vnico medicinæ affixas angulo, sed diffusas & per immensum encyclopædiæ Oceanum longe lateq; vagantes. ambulantem certe eam dicent, quæ medicum in singulis artis partibus

exa-

exactissimè erudiat: quæ in messem alienam aliquantulum falcem immittere patiatur, non vt relictis propriÿs iatrosophiæ fontibus, in aliarum disciplinarum gurgites omnino immergantur studiosi, sed vt ex earum medullis rorem exsugant saluberrimum, quo fertilis ager medicinæ vberius valeat fœcundari. Vobis igitur studiosissimi iuuenes, hasce Bibliothecas enixe commendo: & quia non omnibus datum est primam euoluere, quod nullis parcendo sumptibus, nullis territi viarum periculis, vos Germani generosissimi alacriter & gloriose facitis, secundam ac tertiam instructissimas comparate, vt ad ægrotantes forte accersiti, tum pro consiliÿs ex abrupto ineundis, tum pro auxiliÿs præcipiti occasione conferendis, hoc solum vnicum studuisse videamini. Sic ad omnia

paratos vos reddet indefessæ meditationes. Nulla enim ratio discendi præstantior, cum non ea quæ audimus aut legimus solùm, sed quæ multum diuq; meditamur optime calleamus. Proinde singulis studiorum generibus hoc breui catalogo quartam suggero ambulantem Bibliothecam, vt Vir Medicus instar multorum hominum sit, *& in bonarum litterarum arena plurimum excitet eruditionis puluerem. Potuissem minori quidem numero circulum claudere. Sed in perlegendis Scriptoribus hoc vnum aduertite, nobilioribus etiam Medicis illud contingere, quod Pictoribus celeberrimis, quorum alij eo sunt genio, ea naturæ peculiari propensione, vt admiranda linearum syndrome simillimos hominum vultus valeant duntaxat exprimere; alij paruis ac minimis figuris* ap-

pprime delectentur, in grandiori-
us minus sollertes; alij in procellis
& maritimis fluctibus imitandis
int admirandi; alij in ruralibus
nimitabiles; alij florũ & fructuum
atiuã elegantiã superãte penicillo,
os sint vel ipsas auiculas fallere; alij
ictis iuuencis, tauros in furores
gere venereos. Non secus res se ha-
et apud scriptores primi nominis,
ut etiamsi propter immensos la-
ores, & indefessas lucubrationes de
Republica litteraria habeantur op-
ime meriti, in vno tamen magis
xcelluerunt. Quapropter plures in
neum Catalogum conuocaui, vt ab
noquoq; quod præstantissimum est
auriatis, & ex singulorum dili-
entius excultis laboribus, quietem
obis tranquillam, & gloriosam
omparetis. Valete dilectissimi li-
eri à vestra animata Bibliotheca.

P. à C. M.



BIBLIOTHECA
MEDICI ERVDITI.

AVCTORE

PETRO A CASTRO, D. M.



QVibus libris ſtipari Medicus, quibus auctoribus perlegendis inſudare, aut quibus maiori ſedulitate, minoriue attentione ſe tradere debeat, aggredior deſcribere; non vt in eliminandis aut emmandis illuſtrium virorum monumentis rigidum agere velim Ariſtarchum; & veru nimium audaci præclara doctorum ſcripta figere, minus forſan idoneum, quam deceat proferendo iudicium, animus eſt ſolummodo in vnaquaque medicinæ parte iunioris medici ſtudium hoc breui Syllabo diri-

gere ex præstantissimis scriptoribus vnum vel alterum assignando, in quo solidæ doctrinæ, reiectis glumis & inutilium quæstionum cortice (quę ad artis gloriam & vtilitatem parū aut nihil faciunt) vera eluceant fundamenta. Nullum auctorem rejicio, omnes quos licet amare, studio & honore prosequor, confusam, cum sapientissimo Seneca multitudinem damno, quæ onerare discētem solet, non instruere. Potest quidem Medicus extra Medicinæ chorum multiiuga bonarum litterarum fruge ad sui perfectionem exornari, dum tamen cuncta ad Medicinę artis culturam dirigantur, & ijs tamquam sale ad condimenti suauitatem, non tanquam cibo ad nutrimenti soliditatē vtatur. Nō patitur nobile Medicinę subiectum, nō gloriosum obiectum, lasciuo fabularum lenocinio irretiri artificem, non inutilium librorum lectione occupari. Scio quam late vltra proprios ac domesticos lares diffundatur Apollinis imperium,

ſed domeſtica Aesculapij œconomia totum hominem abſolute deſiderat, nec impune in næniis diuagari permittit.

Quapropter HIPPOCRATEM veræ Medicinæ clarum iubar in primis & ante omnia ſequatur oportet, eiuſque veſtigia fideliter premat, eiuſdem ſcripta non ſolum perlegat, ſed deuoret, ac certa quadam, vt ita loquar, palingeneſia eius mentem in proprium conuertat animum. Et quoniam non omnes libri qui ſub nomine magni ſenis circumferuntur eius ſapiunt ſermonis grauitatem (quamuis omnes ſint optimi) eligat Medicus in quibus magis inſudet, ducem in hoc freto ſibi adſciſcens ſapientiſsimum *Mercurialem*, qui non ſolum eorum operum fidelis interpretis, ſed prudentiſſimi ſimul iudicis munus adimpleuit. Vel *Forlium* aut *Martianum* eruditiſſimos, qui incomparabili ſolertia ex vniuerſis Coi operibus lecta admiranda, ille in prudentia

œconomiæ, hic in diligentis commentarii ordinem redacta composuerunt, quibus selectioris Medicinæ mire panduntur sacra penetralia.

Selecta igitur et genuina magni Dictatoris scripta, quoniam breuiloquio ac sententiarum profunditate satis sunt obscura, filis vtatur Ariadneis, mutuetur illa a magno *Vall sio*, qui in omnes ferè Hippocratis libros elegantissima ac solidę doctrinę referta edidit cōmentaria. In ijs præcipue, quæ in libros exarauit E P I D E M I O N se ipsum superauit, vt nec ipsemet Hippocates propriam mentem efficacius enodasset. Hæc sola possunt medicum perficere, reliqua omnia medicum facient, sed non perfectum. Cætera huius auctoris scripta quæ in Prognosticon, in Aphorismorum libros; In eos de ratione Victus, de Alimento, de locis affectis, controuersias medicas, etalia mirabilia sunt, legantur sæpe: nec vnquam penitebit.

Si tamen aliorum scriptorum, vt-

operæ pretium iudico, arrideat doc trina, eruditiſſimi *Ludoui Dureti* in COACAS PRAENOTIONES cōmētaria non leuiter percurrat. Nam eius phraſis eſt obſcura, ſed ſucculenta valde, & virum maturum deſiderat. Nec *Hollerij* & *Iacotij* in eaſdem ſententias doctiſſima monumenta minorem merētur laudem.

In libro DE INTERNIS AFFECTIONIBVS, & in libris DE MORBIS declarandis pauci hactenus inſudarunt; quod forſan iudicauerint eos minus graui ac ſucculenta phraſi elaboratos, aut conditos pauciori ſale Hippocratico. Iudicium de authore ſit penes ſapientiſſimos *Foeſium* aut *Mercurialem*; librorum vtilitatem quærimus, oſtēdent vltro doctiſſima *Ioannis Martini* med. Pariſienſis in lib. de Internis affect. & eruditiſſima *Petri Salij* Diuerſi in lib. de Morbis Commentaria: quæ nullo pacto prætermitti debent inſeruient enim ſtudioſo medico pro cynoſura, vt ſola diuturna & conti-
nua

nua in medendo praxis pro naui ad horum librorum sentētias, quæ alioquin videntur satis obscuræ, exactè adipiscendas.

In libris Prognosticorum explicādis doctorum iudicio excelluit *Christophorus a Vega.*

In APHORISMORVM, laconicus sed neruosus auctor *Ioānes Heurnius.*

In eis de CAPITIS VVLNERIBVS *Vidus Vidius Fallopius,* & *Alcazar Salmanticensis.* Et tandem in omnibus *Galenus,* qui & ipse indefesse legendus ac perlustrandus. Iacentem enim Hippocratis disciplinam primus suscitauit, obscuritatē illustrauit, breuitatē explanauit.

Inter eius facundissima scripta sępius euoluat Medicus libros DE LOCIS PATIENTIBVS. In quib⁹ dilucidandis nulli secundus ęstimatur *Thomas a Veiga Lusitan⁹,* qui pariter libros de DIFFERENTIIS FEBRIVM, & ARTEM MEDICINALEM profundissimo breuiloquio, medullit⁹ tamē enucleauit; quare sūma cum attētione

ne tractandus. Nã paucis multa comprehendit. Si tamen circa hoc idem opus placuerint controuersiæ, vnus erit instar multorum acerrimi vir ingenij *Petrus Garcia Carrerius* in eosdem libros de locis affectis.

Libros METHODI MEDENDI in diuinum cõpendium reduxit *Vallesius* supra citatus. quod non quidẽ legendũ propono, sed vt alte memoria recondatur magnopere exhortor.

In valde affini argumento quatuor adhuc extant clarissimorum virorum opuscula, aptius dicerem robustissima medicinæ fulcra, angustis paginis, quæ cuncta complectuntur, quæ ad rectam medendi methodum & praxim absque cespitatione exercendam possunt in humanis excogitari. Primum itaque tenet locum Doctissimus *Santa Crucius*, qui *Valesium* non minus in fortunæ felicitate quam in Doctrinæ soliditate sequutus est, libellum suum prope aureum exhibens de impedimentis magnorum auxiliorum in morbis, ar-

gumento, ordine, doctrina, claritate incomparabilem. Hunc vero nobilis auctor *Septalius* in suis prudentissimis Animaduersionib⁹ medicis, quarum gloriam, vtilitatem & commẽdationem vltro adaugent doctissimi *Ioannis Rhodij* indefessę lucubrationes, Analectis similiter ex probatissimis quibuscnnq; auctoribus, suaq; obseruatione adjectis innumeris cautionibus, secundum affectus, atq; præsidiorum materiam diligentissime dispositis.

Tertium merito locum occupat *Stephanns a Castro* excluso gemino fœtu, geminato supra humanas vires ingenio, opusculis nempe de Cõplexu morborum, & de Quibus ex Quibus, singulari arte ac studio elaboratis. Claudit numerum solertissimus *Claudinus* tyrones in ingressu ad Infirmos manuducens, gressu certe non claudo, sed valde firmo, recto, & illabili. Hos libellos memoria teneat medicus, aut saltem cũ Apelle in eorum lectione assidua

nullam

nullam diem sine linea transire permittat.

LIBRI DE SANITATE TVENDA sanam ac neruosam valde præstabunt doctrinam. Ab eorũ lectura probe cognosces quantum ad medicum spectet sanitatis studium. In hoc argumento libellum hactenus nihili, etsi frugis non spernendæ, adeo felicitauit *Renatus Moreau*, vt nihil politius, nihil eruditius possit exhiberi.

CVRANDI RATIONEM PER VENAE SECTIONEM pari energia docuerunt *Mena*, & *Horatius Augenius*, ac *Galenus* ipse: nec *Dilectus Lusitanus* in hoc argumento paucam meretur laudem.

Libri DE ARTE CVR. ad Glauconẽ & ipsi mira solertia elaborati, desiderant laborẽ assiduum. Doctrina etenim saluberrima rependent quicquid in eis aut Medicus aut Chirurgus laboris impẽderit. Ex capite decimoquarto primi libri hoc vnũ moneo, ne vnicus apex te subterfugiat.

giat. Hoc opus tam vtile ac necessarium condignis commentarijs illustrauit *Horatius Augenius*; quæ dum viueret nō potuit publici iuris facere. dabuntur in lucē fauente Numine, Eruditissimi *Rhodij* studio ac diligentia, in cujus Museo authographum seruatur.

ARTEM MEDICINALEM inter Isagogicos ad diagnosticam pertinentes recenset ipse *Galenus*; hoc sibi vult, debere tyrones ab studij medici primis rudimentis illius aphoristica doctrina initiari. Si tamen commentaria desideres, siste pedem in vno *Roderico a Veiga Lusitano*; nec quæras amplius A LIBRIS DE DECRETIS *Hippocratis* & *Platonis* semper recedes doctior.

LIBRI DE MORBO ET SYMPTOMATE peritissimum nacti sunt exopsitorem *Valeriolam*. cuius animum non potuit conuellere *Fuchsij* viri alioquin doctisimi liuor, vt a solida Galeni mente quicquam per rixas deuiaret. Hic auctor Hippo-

cratis

cratis & Galeni ſcripta adeo ſibi fecit familiaria, vt ex vaſtis eorum operibus precioſum elicuerit extractum, dum artem medicinæ vniuerſam per locos communes eorundem appoſitis ſētētijs vtiliſsime diſponit.

LIBRI DE PVLSIBVS quia labyrinthei valde, & intricatæ admodum lectionis, tum propter ſubtilem & arduam materiam, tum propter operis quoquo pacto prolixitatem, ipſummet optarent Galenum expoſitorem: Secus parum profuerunt adhuc *Valleſius*, *Mercatus*, *Saxonia*, *Sanctorius*, & multi doctiſſimi ac exercitatiſſimi viri, qui rem inter tot medicinæ partes difficillimam explanare conati ſunt. Vnus tamen ſupereſt extreme cōmendandus, non bibliothecæ condendus foliis, ſed memoriæ adytis & alta mēte reponendus *Ioſephus Struthius*, qui libris quinque artem Sphygmicā ita accurate, ita lepide coplexus eſt, vt vix quicquam dilucidius, quicquam clarius in obſcuriſſimo argu-

mento possit exoptari; reduces ab inferis Galeni manes potuissent rem adeo enucleatam, adeo exossatam posteris tradere: eo vtere vel ipso Galeno postposito. Non tamen existimet medicus hoc illi pro artis cognoscendorum pulsuum peritia suffi cere; nec crebra Galeni aut Struthij lectione vltimam posse perfectionis metam attingere. *Tempus requiritur longius, & tactu opus est exercitato*, ita vt *ad exactissimam & absolutissimam cognitionem exigi totam humanam vitam putet Galenus lib. de dig. pulſ. cap.* 1. Preterea pars ista medicinæ nobilissima *egregie gnauos industriosque homines quærit, non voluptarios*; eod. cit. loco. adderem ego certã ac inenarrabilem ingenij aptitudinem in naturæ maiestate reconditam (vt auctor est *Rhodiginus* l. 7. cap. 4. lect. antiq.) qua simul cum diligentissima ac propemodum Galenica exercitatione, inter omnes quos hactenus nouerim mire se extollit *Hieronymus Franzozius* inter

medi-

cos veronenſes eximie doctus.

Libri DE ELEM. DE TEMPERAMENT. DE NATVRAL. FACVLT., & alij Phyſiologici, ſuperioribus in contemplando valde affines, quantum ad medicũ faciat perfecta phyſicorum notio, clare oſtendunt. His inſalutatis vix applaudet gratus Apollo, & praxis cęſpitando fiet deſtituta nobiliori fundamento. In horum quibuſdam laborioſe prę cęteris inſudarunt *Brachelius*, *Segarra*, & *Peramatus* viri doctiſſimi.

LIBRI DE CRISIBVS, & DIEBVS DECRETORIIS nobiliorum Criticorum decreto pari dignitate ac neceſſitate procedunt in arte medica. Nihil frequentius in praxi eorum doctrina. Quare pertinaci aſſiduitate ſunt euoluendi ac exugendi. Acumine & perſpicuitate *Ludouici Lemosij* diligentiſſimi ſcriptoris medullitus extrahetur eorũ anima. At libros de diebus Decretorijs ſidereis ambagibus refertos explanauit ęlegãtiſſime *Andreas Laurentius*,

quam-

quamuis lauream reportet hodie sapientissimus *Argolus* iatromathematice, & accuratissima computatione rem difficilimam exossatam perhibens.

LIBELLOS DE PVRGANTIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS, & quos, quibus, & quando purgare oporteat, mole contractos, virtute ac vtilitate immensos metirj non desinas fidelissimo pede. Negotium enim maximi ponderis exactissimum examen desiderat. Trutinam adæquatissimam dabit *Petrositanus Bralius* libris doctissimis de purgatione, & appendice lepidissima de medicamentis purgantibus.

Hos, propter argumēti paritatem sequi possunt LIBRI DE MEDICAMENT. COMPOS. SEC. LOCOS, opus certe laboriosum infinitis remedijs ex diuersis auctoribus refertum. Praxim executiuā dicas cūctis nāq; fermè affectibus a vertice ad pedes præscribuntur remedia. Non neglexit Galenus ex alijs multa describere,

vt meliora experiretur. Sic decet tyronem quæ in varijs Europæ prouincijs habentur in vſu practico diligenter perſcrutarj: tantum abeſt, vt tetrico, ne dicam petulanti faſtu debeat illa comtemnere. Quamplurima nos ex Gallia, Germania, Belgio, Italia, Hiſpania, quin & ex Indijs ipſis ſummo labore ac ſtudio collegimus Nec pœnitet, nec pudet Galenum medicinæ parentẽ ſic imitatũ eſſe: hæreant alij patrum exoletis cyceonibus, tanquam patrijs legibus alligati. Remediorum copioſa diuerſitas medicum commendat, & in caſu ancipiti ſolertem facit, dũ tamen eis vti ſciat cum delectu & moderatione, rectaq; initiatus methodo non ſcripturiat apud languẽtes, nec quoties ægrum inuiſat (vſurpabo hoc prudentis Valleſij) noua ſemper præſcribendo, toties peccet. Hos libros itaque ſuis doctiſſimis commentarijs recentauit Gallorum nouus Hippocrates *Hollerius*, Nec LIBROS DE COMPOS. MEDIC.

DIC. PERGENERA in suis de materia Chirurgica institutionibus reliquit insalutatos. Legãtur isti recentiori vtilitate ac tyronum beneficio.

Tandẽ quicquid hominis ingeniũ supra humanas vires potuerit, ostendunt LIBRI DE VSV PARTIVM, quos non leges sine auctoris admiratione. Libri pariter, qui ad anatomẽ pertinent illo sæculo fuerunt admirandi. Eorum fortunam hoc vnum geminasse reor, quod doctissimum *Vesalium* habuerint expositorem. Ne tamẽ lectionis prolixitas noceat inexpertis, succedit in eius locum solertissimus auctor *Andreas Laurentius*, qui sua de anatome historia elegantissime cuncta dimensus est, quæ a Galeno & eius posteris fuerũt exarata. Sed digitum attollit Clarissimus *VVeslingius*, noua multa & pulcherrima ex penu diligẽtissimę ac vigilantissimę dissectionis (cui muneri præfuit summa cum laude Patauij) quæ hactenus non fuerunt obseruata ab oculatissimis *Columbo*,

Val.

Valuerda, Bauhino, Riolano, Spigelio, & alijs referens. Vtilissimum certe erit tam nobili scriptore bibliothecam tuam exornare.

Præstãtiores Hippocratis & Galeni libros recensuimus, quos ex maiestosa dicendi grauitate genuinos eorum partus iudicarunt doctiores viri. Sed quia propter sententiarum profunditatem non facile cuiuis datum est eorum abstrusa adyta penetrare, celebriores adiunximus expositores, qui in vnoquoque opere operam nauarunt egregiam, obscurissima Apollinis pandentes oracula. Quod expresse ex cunctis Hippocratis operibus pari verborum energia ac dictorum acumine aggressus est enodare cordatissimus auctor *Prosper Martianus*. Post quem *Iulius Alexandrinus* in Enantiomatis; *Ioubertus* in Paradoxis; *Valeriola* in Enarrationibus; *Rorarius* demum in Dubijs ex Hippocrate, Galeno, Celso, Aetio, Aegineta, & Auicenna collectis, acutissima, & appositissima de-

de-

derunt reſponſa. In hoc argumento poſt Martianum eligatur *Rorarius*, nec rejiciatur *Concil.ator* Differẽtiarum Aponenſis emunctus præſertim barbarie multa, illius ſæculi eloquio. Adhibuit nuper ſpongiam *Horſtius* elegantiſſimus, et iam defęcatum cunctis ingenijs protulit deguſtandum.

Sic Galenum emunxit *Lacuna* Hiſpanus ille Dioſcorides, ſublatis digreſsionibus, & Græca dicacitate non parum coercita. Compendium eſt, me hercle, non compendioſe laudandum, cunctis quibus breuiloquium arridet aptiſſima ſupellex.

Poſt Hippocratem & Galenum merito in Apollinea Græcorum familia, Principum nomen adepti ſunt *Aetius*, *Paulus Aegineta*, *Alexander Trallianus*, *Areteus*, *Rufus*, *Oribaſius*, *Actuarius*, *Cæl. Aurelianus*; *Scribonius*, & latinus alter Hippocrates *C. Celſus*: quos ignoraſſe piaculũ. Vt enim facilius daretur illis frui poſſe, longe diſſitos in vnum con-

conuocarit diligentiſſimus *Henricus Stephanus*. Rueret me hercle Bibliothecæ Medicæ ædificium his deſtitutum fulcris robuſtiſsimis.

Nec Princeps Arabum *Auicenna* abeſſe debet, immo poſt Hippocratē, & Galenum primas teneat, non minus euoluendus, non minus exſugendus lectione indefeſſa, eo magis quod priſcorum iuterpretum barbariem ferè totam exuerit lucubrationibus doctiſsimi *Ioannis Coſtæi*, poſt fidelem & emunctam verſionem *Bellunenſis*, & *Cremonenſis Gerardi*. In hunc Principem elucidandum inſudarunt multi, ſed ita vaſtis, ita prolixis operibus, vt vix pro lectione tanta ſufficiat ſeculum. Lege ipſum nudum, vel *Sanctorij*, *Carrerij*, *Sancta Crucij* in primam Fen doctiſſima perlege commentaria.

Pœnę huius familię extant adhuc medicinæ proceres clariſsimi; ſed vnus pro cunctis accerſeatur *Raſius* experientiſsimus auctor, quem in praxi fere ſecuti ſunt doctiores neoterici;

terici. In librum nonum ad Almãzorem habet interpretes præ ceteris. Iacchinum, Vesalium, Mercurialem, quod sufficit ad extremum commendationis: non tamen sunt contemnendi Haliabbas, Alzabarauius, Abenzoar, Albucasis, Serapio, & alij.

IN PRAXI igitur claruere multi. Sed hodie nouissimus Sennertus, multa segete aucta palmam rapit. Hic, vt diuersis arrideat ingenijs, quamplurima experta, & curiosa ex fonte spagirico pandit medicamina, a quibus certe non debet abhorrere perfectus Medicus. Quapropter ne stomacheris, si huius classis celeberrimos scriptores tibi ingeram. Non quidem propono Paracelsum; Oportet namque qui se illi addixerit odisse Hippocratem. Satius est vt ipse absit a Bibliotheca, ne suis nominum horrendis innouationibus, & operationum labyrinthis imperfectum ne dicam impium efficiat Medicum. Ars tamen spagirica, si sine sycophantijs exerceatur, cum sit ap-

prime

prime commendanda, suos auctore
præstantissimos, & laude dignos i
bibliothecam deferat; *Crollium* ni
mirum, *Fabrum* philochymicum, *Be*
guinum, *Glauberum*, *Rulandum*, *Min*
sychtium, doctissimum *Poterium*, eru
ditissimum *Quercetanum*, *Salium Vi*
centinum exercitatissimum, & vnum
Hartmãnum, qui praxi iatrochymic.
& Annotationibus in Crollij Basilicam
locum meretur regium. Non
tamen Galenicis destituaris (hæc sit
tibi regia via, & præcipuus callis)
Altimaro, *Mercato*, *Mercuriali*,
Guainerio, *Rondeletio*, *Hollerio*, *Massaria*,
Capiuaccio, *Riuerio*, & vno admirando
Riolano, qui ad normam librorum
Galeni de Morbo, & symptomate,
ingeniosam construxit
praxim; breuem quidem, sed omnia
cingentem.

INDICATIONES curatiuas nec
Galenus ipse melius Mercato intellexerit.
Hoc opus *Mercati* celebrius est
inter cetera iure, & liber de morbis
mulierum, in qua materia non minus

lepide scripsit *Rodericus a Castro* med. Hamburgensis. Gyneceorum auctores, quos vtilissime in vnum corpus congregauit *Israel Spachius*, digni sunt vt habeantur pre manibus. Nihil enim superfluum pro medicina mulierum, quæ videtur separatam librorum congeriem, & totum medicum desiderare. Nam *diuino indigere auxilio dicebat Hippocrates eum, qui mulierum affectiones recte curare vellet.* Quare per multos libros exploranda est talium morborũ notitia, & apta remediorum applicatio. Nec obstetricum libris in hoc genere tetrice eliminatis. Extant enim vel Gallico, vel Italo sermone accuratissimi tractatu, & vtilissimæ obseruationes. Memento Galenũ nõ puduisse quandoque a mulieribus approbasse ac descripsisse remedia.

De VIRGINVM MORBIS difficilius adhuc negotiũ. Extat inter Hipp. libros opusculum non contemnendæ frugis, quod etsi doctrinæ, & stili grauitatem illius diuini senis non redo-

leat,

at, tamen non rejiciendum. Sufficit
uod inter antiquos hoc argumen-
m hic solus auctor aggressus fuerit.
t ex iunioribus non pauci, dum de
ulierum affectionibus tractarunt,
d ex professo doctissimus *Ranchi-
s* curiose, & diligenter cuncta
mplexus est. DE MORBIS
VERORVM *Mercurialis* tra-
auit accuratissime, & apud Hi-
anos *Sorianus* lingua vernacula.
quo pariter laborarunt *Petrus Ba-
lardus a Flumine*, (a quo forsan
bundi iuniores puriores aquas
hauserunt) *Sebastianus Austrius*,
centinus, & *Kufaerus*: Sed ad-
dum ieiune. Austrium tamen feli-
sime illustrauit nuper *Nicolaus
anus* Medicus Cæsareus. Eligatur
heoricis *Serna* doctissimus Regis
lippi Archiater. in hoc præcipuè
atus est vt infantium Regiæ fa-
iæ sanitati prouideret, & morbo
orantibus diligentissime succur-
t. Habeatur hoc opus præ mani-
, opus Regium, & dignum singu-

lari studio. At in practicis alij claruerunt, qui flexili puerorũ naturæ, & facile mutabili, facilia ac vt plurimum domestica remedia sciunt adaptare, nec dedignantur describere. Paruis etenim auxilijs indigere puerilem ætatem dicebat Vallesius lib. 6. epid. sect. 8. com. tex. 44. Opusculum nostrum de Colostro, quod pro hoc adimplendo puncto sedulo exarauimus, & iam sub prælo est, speramus fore vt non displiceat.

Vt pueri igitur *παιδοτροφὴν* difficili admodum artis medicæ parte gubernantur, sic SENES delicatissima GEROCOMICE. De qua antiqui generice tantum, & quasi per transennam pauca tetigerunt, sub Prophylactica, vel Analeptica comprehendentes. Quære neotericos, qui hanc nobilissimam medicinæ partem ex professo excolere aggressi sunt. *Aurelius*, *Anselmus* de senum regimine aliqua, sed docta valde: *Fugerolis Galli* elucubrationes seniorum medicorum studium, & commenda-

tionem

tionem merentur. Tandē senectu-
s ille ſoſpitator magnus *Ranchinus*
ncta quæ in hoc argumento poſſis
optare, liberaliter & munifice exhi-
et: medica eius opuſcula medicam
ibliothecam digniſſima certè ac
obili exornabunt ſupellectile.

DE FEBRIBVS fere omnes pra-
ici, quos longum eſſet recenſere,
igatur pro ſtudio & curatione vnus
it alter. *Sennertus* arridet diſtin-
tus, facilis, expeditus; In Theoricis
oſt *Luſitanum Veigam*, qui libros
aleni de differentijs febrium com-
entarijs illuſtrauit, acutiſſime mc-
e ſuo ſe geſſit *Petrus Garcia Carre-*
us; opus quidem poſthumum au-
toris, quod tamen ſapit ingenij ſub-
litatem, & in diſputationibus mi-
m energiam: ſed præ ceteris ſit tibi
miliaris *Hucherus* Monſpel. pro-
ſſor, doctus.

DE MORBIS SVBITIS,
ræſentaneam & citiſſimam manum
etentibus, debuiſſent omnes tra-
aſſe Medici, & pro re tam præcipi-

ti, in remedijs exquisitissimis indagandis fortiter insudasse : pauci tamen hanc prouinciam susceperunt debellãdam. Dictauit quondam Salmanticæ auditoribus suis meritissimus professor, & præceptor meus *Ruisius*, subtilissimis in vnoquoque affectu additis disputationibus ad naturam affectuum certius indagandam apprime facientibus, electissimis postmodum remedijs imminentia pericula euitare docens. Fient forsan aliquando publici iuris ad medicinæ maiorem exornatum. Interim fruere diligentissimo *Ranchino*, vel *Montuo* eruditissimo.

MORBORVM A VENEFICIIS, & FASCINO inductorum etsi videatur ad Medicum non pertinere curatio, cognitio tamen non venit spernenda, immo necessariam iudico : nec in dubium est reuocandum dari huiusmodi ægritudines (quod fecerat *VVierus*, a *Bodino* acerrime reprehensus) quinimo nimium sæpe in praxi occurrunt, & non paucis Hi-

sto-

-orijs fide dignis annotarunt auto-
-es inclyti; non Medici solum, sed
-heologi doctissimi, *Petrus Thireus*,
-rancifcus Maria Guaccius, *Siluester*
-rierias, *Leonardus Vairus*, Magister
-iruelus, & alij, inter quos primas
-btinet *Delrius* admirandæ eruditio-
-is vir, & inter Medicos qui in hac
-esse falcem immiserunt, *Baptista*
-odronchius, quem non satis laudaue-
-is, quamuis *Sennertus* par. 9. lib. 6. in
-oc argumento omne punctum ac-
-uratissime impleuerit. Ex his habe-
-it Medicus quid de similibus mor-
-is catholice sentire, & quo pacto
-ata occasione, se gerere debeat. Le-
-antur: ne fraus & delusio dęmonum,
-ut mulierculárum quandoq; perti-
-ax error incauto imponat Medico,
-& nobilissimæ artium Medicinæ sit
-edecori.

ANIMI MORBI vt diuinã, & no-
-biliorem hominis partem occupant,
-c profecto aliquid diuinum in se
-abere videntur. Quapropter diuini
-ngenij Medicum requirunt, qui rara

& admiranda eorum ſymptomata quibus prædictis affectibus valde aſſimilantur, apprime ſciat diſtinguere, ac varijs læſionibus, quæ ab animi paſsionibus continuo in corpus deriuantur, longo experimento didicerit curare. vnde hanc cognitionem Medico ſumme neceſſariam ſemper exiſtimarunt *Hippocrates*, & *Galenus*, dum hic de animi paſsionibus cognoſcendis ac curandis libellum poſteris relinquit; ille frequentiſsimas ab illis ad corporis morbos metaſtaſes ac epigeneſes, & contra, mille in locis inſinuat. Quod non prætermiſit *Plato* ĩ Timęo. Quare moneo vt diuina hæc animorum medicina toto animo excolatur, in qua elucubranda ſolerter inſudauit *Barthol. Perdulcis* cordatus author. In hoc genere nõ permittit rei nouitas me inuoluere ſilentio *Oliuam de Nantes Barreram* eruditiſsimam mulierem, quæ de hoc argumento (vt erat filia doctiſsimi Medici, Antonii Barreræ a conſilijs ſanitatis Philippi II. Hiſp. Regis)

) librum,& Latina, & Hiſpanica
gua ingenioſiſsime conſcriptum
titulo nouæ medicinæ, publici
is fecit: quem legere fuerit certe
cundum ſimul ac vtile. Pręterea
artij *Marinelli* Med. Ven. doctiſs.
ucubrationes de Morbis nobilioris
imæ facultates obſidentibus pro-
ne accedunt ad hoc argumentum.
uare ſumme mihi commendantur
o ijs, qui theoriæ magis incum-
unt, cui parti poterit forſan ſatisfa-
re quæſtio a nobis olim agitata de
odo, quo anima poſsit morbos, &
nitatem inducere medijs ſuis paſ-
onibus, quam fauente Numine breui
urabimus excudendam.

Sed quia vix morbos, quantumuis
ues, recte curare poteris abſque ex-
retorum perfecta peritia, Auctores,
roſcopiam, Scatomantiam, & Hy-
romantiam (ſudorum intelligo do-
trinā) docentes accerſe. LIBER DE
VRINIS, qui *Galeno* adſcribitur, vix
dem habet. Poſt *Actuarium* igitur
criptorem diligentiſsimum primas

 te-

tenet *Ludouic⁹ Collius*, qui ſimili ferme dexteritate, qua *Struthius* ſphygmicam, vroſcopiam delineauit.

At vtriuſque diſciplinæ punctum perfecte adimpleuit *Leo Roganus*: vt ſcatomantiæ, *Montanus Veronenſis*.

De Sudorum varijs differentijs multi ſparſim, inter quos præcipue *Manardus* inſigne Ferrarenſium decus, & artis medicinæ ornamentum, cuius tractatus de *Sudore*, & *Volupta-te* non permittit abſq; voluptate tractari.

OBSERVATIONES, & CVRATIONES varias vtiliſsime collegerũt *Foreſtus*, *Amatus*, *Hildanus*, *Tulpius*, *Valeriola*, *Beniuenius*, *Donatus Marcellus*. Sed vnus admirandæ lectionis vir *Schenkius* omnes ſuperauit. Portauit quidem ingenium in dorſo, vt dicitur, ſed multiiuga lectione eſt incomparabilis. At Zacutus meritiſſimus multifaria doctrina. Hũc hactenus tacui, quem debuiſſem prẹlibaſſe. Sed quia hoc genus ſcribendi illum quaſi in Olympicis medicinæ victo-

rem

m ſpectabat, & huic videatur ma-
me imgenium adaptaſſe (quamuis
illam artis partem reliquerit inta-
am) medium Bibliothecæ locum
ipleat; tanto ordine,tam ſingulari
ſpoſitione, vt priſcis medicinæ pa-
ntibus merito veniat æquiparan-
is:quorum doctrinam nemo melius
ſugere, nemo excolere diligentius
iuerit vnquam. Hoc vnnm illi de-
o colendiſſimo præceptori, quod
æ cunctis ſtudiorum laboribus ac
gilijs me ſolus effecerit medicum,
on crebra tantummodo eius ope-
um lectione (quibus frui datum eſt,
iam antequam orbi naſcerentur)
d viua voce,annua praxi,eruditiſsi-
a conſuetudine. O vtinam ex ea
iuiſſet inexperta iuuentus futuræ
eritiæ ſibi parare gazophylaciũ, &
illantem in animum tanti magiſtri
pientiam mature excoquere, apte
igerere,& in propriam commutare
bſtantiam. Simili igitur Bibliothe-
e potius ſtudeant tyrones Medici,
fiant perfecti,vt fiant exornati nec

segniter aut pigro gressu ad praxim accedant, ne irreparabili pœnitentia breui defleant deperditum pretiosum tempus; præsertim si nacti fuerint præceptorem perfectum ac eruditum. Moneo tamen vt illum quærant in magnis ac populosis Vrbibus, multiplici ægrotantium numero, ac quotidiano diuersorum affectuum euentu facilius firmentur in artis optata peritia. In hoc augustissimo Venetorum dominio vel ipsa princeps Ciuitas pro exercenda praxi expetenda est. Multitudo namque populi ac diuersarum gentium frequentia iugi experimento parabit disciplinam, parabit magistros. Florent hoc tēpore ad priscorū inuidiā *Michael Angelus Rota* triplicis Angeli omē in nomine gerens, non mirum si sapientissimus, non mirum si felicissimus: *Ioseph⁹ de Aromatarijs* eruditionis ac facundiæ suauissimos odores per Europam effundens. *Io. Dominicus Maresius*, qui rate doctrinæ, & eruditionis, Venetæ prudentiæ vastissimum

mare

nare velociori, quam excogitari pos
it fortuna, trāsfretauit. Felices disci-
uli, quibus tanti contigissent præce-
tores. Post Metropolum, post magi-
tros famigeratissimos merito pro
raxi exercenda succedat Verona
nclyta. In qua populi satis ampla
ec tamen confusa multitudo, in qua
obilium minor maiestas, qua tyro-
ibus ad eos aditus facilior. In qua
emum doctorum peritia, & affabili-
as summa. Vigent adhuc reliquiæ
culi illius aurei, quod ferre solebat
agnos illos *Montanos, Fracasto-*
os, Guarinonios, Cagnatos, Puteos,
uliarios, & mille. In vno digniss-
mo Medicorum Archiatro *Alexan-*
ro Lisca Patricio Veronensi nobiliss-
mo: *Francisco Pona* Diui Marci
quite meritissimo, æquore omnium
isciplinarum immenso, cui propter
iras ingenij dotes nuper Cæsareo
iplomate Magni Ferdinandi Au-
riaci potentissimi Romanorum
nperatoris, credita sunt Augusta
acinora: & *Hieronymo Franzosio* Co-

mite inclyto, quem ipsosmet medicinæ proceres, Hippocratem, Galenum, Auicennam, & alios, sectis diuersis addictos, singulari energia in Peripatum trahere non semel vidimus. His fideliter committi possunt robustiores alumni, generosiores fœt⁹ quos in dies sub erudito magni *Siluatici* Equitis incubatu enititur celebre Patauiũ, aut sub Regijs *Fortunii Liceti, Ant. Molineti, Guidi Albanesii, Franc. Bonardi, Hieronymi Frigimelicæ, Petri de Marchettis Equitis*, alitibus disponit ad volatum.

Sed nimis videor a Museo abfuisse, dum exemplo duarum clarissimarum Vrbium, in reliquis Europæ optauerim tironem excolere, certus quod nihil possint in forulis & museo Auctores inclyti, si exercitium, & accurata praxis defuerit. His igitur iactis fundamentis, me iterum in Bibliothecam recipio, vt scriptores illos enumerem, qui CONSILIA, EPISTOLAS, & CONSVLTATIONES scripserunt

Has

las quære ab vno *Solenandro.* *Mon-*
anum ipſe Veronenſium decus,& or-
namentum, comitatur,imitatur: nec
Guarinonium deſerat, *Augenium,Trin*
auellam, Fonſecam,Mercurialem,Fer-
nelium , & ſexcentos quos laborioſus
& de re medica admodũ benemeritus
Matthias Moronus in ſuo Directorio
Medico practico vtiliſſime cõgeſſit.

DE FEBRE MALIGNA doctiſ-
ſime *Minadous* , Angelutius , & *Fraca-*
storius. Sufficit Auctorem nominaſſe
ad operis commendationem . Hic
apud te , ſi ſapis, anteſignani locum
obtineat, non ſolum quod in hac lue
mire indaganda curandaque ſequa-
cem habeat omnem poſteritatem ,
ſed quia ad illud horrendum mon-
ſtrum debellandum inter Italos pri-
mus ſe accinxerit . Nec per *Mercati*
aureum opuſculum, aut elegantiſſi-
mos *Torti* dialogiſmos vnquam er-
rabis. Hiſpanos iſtos,vt in hoc ſubiu-
gando hoſte diligentius inſudarent,
hoc vnũ certe excitare potuit , quod
primi hominum ab iſta lue epidemi-

cà a priscis sæculis repullulante fuerint correpti. Non tamen destituaris doctissimo *Roboreto*, qui de Tridentina puncticularj nuper accuratissime scripsit: & si quem aphoristica delectet dicendi breuitas, nuper a nobis editum opusculum DE FEBRE MALIGNA PVNCTICVLARI per transennam percurratur.

Sic in LVE VENEREA radicitus extirpāda claruere Neapolitani. Cōsule *Alphonsum Ferrum*; quamuis in *Mercato*, *Montano*, *Massa*, *Fallopio* vix desiderare possis quicquam.

DE AFFECTV perquam simili, sed Hollandis, & Frisijs potius endemio, & apud Indos sub alio nomine satis familiari, *Scorbuti* scilicet ingeniosissime scripsit *Reusnerus*, nec sunt cōtemnendi *Ronseus*, *Sennertus*, & *Alexius à Breu* Lusitanus, qui Morbum de Loanda (quod in insula huius nominis valde grassetur) Scorbutum intelligit, raris auxiljs docet debellare. Et quia ī enarrādos vnius particularis affectus scriptores incidimus, ope

æ pretium erit, ſcire LVEM MO
RAVICAM delineaſſe *Sporiſchium*:
HVNGARICAM, *Iordanum*, & *Con-
adinum*: PLICAM POLONICAM,
Herc. Saxoniam: BRITANNICVM
VDOREM, *Viſſenacum*: CATAR-
RHVM SVFFOCANTEM (quem
Galli la Coqueluche dicebant) *Fo-
eſtum*: VERMEM SABAVDICVM,
Gallis Trouſse galant) *Leuinum
anderium*: MORBVM VVAREN,
Weſtphalos, & Geldros inuaden-
em, *Henricum a Bra*. DE MOR-
BO STRANGVLATORIO, *Cletum
igninum*, & nouiſſimum multorum
ruditiſſimum *Bartholinum de Puero-
um Angina epidemica*, quam Hi-
pani vocant Garrotillo;

Cæterum DE AFFECTIBVS MV-
CRONATAE CARTILAGINIS,
de NAEVIS curioſiſſime ſcripſit
eptalius; DE METEORIS MI-
CROCOSMI doctiſſimus *Stephanus
aſtrenſis*: DE VNGVIVM INSPE-
TIONE in Morbis ſagaciſſime
amillus Baldus: DE LINGVA IN

MO-

MORBIS INSPICIENDA vtilissime *Proth Casuloanus*: DE DENTIBVS & CAPILLIS acutissime, & subtilissime *Melchior Sebizius*: DE STATICA MEDICINA accuratissime *Sanctorius* DE VENIS LACTEIS felicissimo inuento *Gaspar Asellius*; cui facile nouos ductus chyliferos, noua receptacula addiderunt *Pecquetus*, *Bartholinus*, *Hornius*; libellis verè aureis, verissimis demonstrationibus. Nec minori felicitate solertissimus microcosmi explorator *Harueus* SANGVINIS CIRCVLATIONEM adinuenit: quam hodie maior pars Septentrionis mordicus profitetur, fautores habet, inter innumeros *Antonium Deusingium*, *Slegelium*, *Conringium* viros doctissimos & *Vaum Kyperum*, qui totam medicinam circulationis fũdamento vtilissime superstruxit. Fatale certe fuit Boream viros peperisse, qui macrocosmum pariter, & qui microcosmum circuirent peragrando. O audax Iapetigenus. Pergo rara adhuc curio-

a,& vtilia extant opuſcula, quæ per-
ectionem Medico, ornatum biblio-
hecæ, & gloriam ſuis auctoribus nō
nediocrem afferant, ſcitu digna, &
liligenti lectura ac ſtudio. Liber *Vl-
ni* DE LIENE ad continuas in ana-
ome vigilias, & contemplationes
ngenium excitat, non ſecus quam
oculos ad indefeſſam perſcrutatio-
nem. Inter hunc, & *Gaſpari Hofmanni*
ibros pariter *de Liene*, & *de Vſu Cere-
bri* acerrime doctrina dimicatur.

Sed ex huius collectaneis *de Ichoribus* o quam ingens vtilitatis, & gloriæ prouentus arti Medicæ!

LIBER DE FLATIBVS *Ioannis Fieni* curioſus, & neceſſarius: *Thomæ Fienij* filij DE FORMATRICE FOETVS, argumētorū energia inexpugnabilis. *Io. Rhodij* demum eruditiſſimi ACIA tanquam hamo in nouiſſimam lucem trahitur abſtruſa vetuſtas. *Io. Taliacoti* CHIRVRGIA CVRTORVM, qua miro artificio mutilata membra ex alijs reſarcire queas. Diſce hinc ī microcoſmi agri-

cul-

cultura dari quoq; suam inoculationē. Quid si admirandas historias vellem enarrare? Absit ad nauseam vsq; *Marcellus Donatus*, & *Schenchius*.

Sed a paucis non abstinebo, quæ separatis opellulis prodierunt, ne careat illis bibliotheca. HISTORIAM FOETVS PETRIFICATI enarrauit *Joannes Albosius*: CVLTRIVORI PRVSIACI cum admiranda curatione *Daniel BecKerus*: MORSVM TARANTVLAE raro ordine examinauit radicitus *Epiphanius Ferdinandus*.

Scintillas ignis è corpore nobilis matronæ exilientes *Ezechiel a Castro*. Quid plura? omnem adimplent curiositatem exempla ista, & in naturæ cum homine ludentis admirationem vltro impellunt.

PESTEM curare docuerūt multi, quisq; pro suæ tempestatis grassante epidemica lue: & apud practicos plerosq; extāt vtilissimi tractat⁹. Percurre *Mercatos, Sātacrucios, Ficinos, Augenios, Massarias, Hollerios*, & mille

sed

ed pedem ſiſte in vno *Quercetano* pe-
ris Alexicaco. Pro horrenda tamen
c monſtrifica iſta lue quæ tanquam
multiformis, & vertumnia proles
ideo ſibi non conſtat, non eſt ſcri-
torum præceptis ſolummodo inhæ
rendum. Iuuabit quidem non eo in-
icias, vniuerſalem calluiſſe metho-
dum, & particularia remedia multi-
plici aliorum periculo comprobata
egiſſe, coaceruaſſe, ad vſum reuocaſ-
ſe: ſed ſæpe numero quod in vna epi-
demica conſtitutione præſentaneum
erat auxilium, in alia fruſtraneum ex-
perimur, ne dicam noxium aut per-
nitioſum. Aluus ſuſtulit omnes qui in
Thaſo per ſtatum peſtilentem perie-
runt; & purgationes omnibus ad vnũ
noxiæ lib. 3. epid. ſect. 3. Simili febre
correptos contagioſa purgantibus
ſanabat *Galenus*. Crurum ſcarifica-
tiones a peſtilentia Aſiam, tempore
Iuliani Imperatoris obſidente, mul-
tos liberarunt, vt auctor eſt *Oriba-
ſius*. Simile auxilium fæda corruptio-
ne ac horrenda necroſi in Morauia
deleuit

deleuit innumeros ; modo copiosa sanguinis extractio confert , modo nocet vel effusa guttula: nunquam vel in essentia vel curatione sibi constat sphinx ista palimbula ac versipellis. Quapropter nō sufficit Medicus in libro doctus ; factis, & solerti praxi opus est, nec adeo vili philautia timendum. Laudo vt sibi caueat Medicus, qui instar multorum hominum est, nec se imprudenter cunctis committat periculis. Sed quod fuga saluti prouideat plane indecorum ac impium existimo. Fugarunt pestes *Hippocrates*, *Galenus*, *Oribasius*, & mille medicorum coryphæi, non illos fugauit infamis moriendi timor, aut ab opere deterruit, quo patriam seruare possent. Auxilijs igitur constantia, ac iudicio se ac ciues suos fortiter tueatur medicus vt sacra donatus quercu immortalem adipiscatur gloriā. Hoc vnum pro indubitato habeat Orbis Christianus, in similibus Dei flagellis vel grauissimis, minimam partē hominum enecari acu-

mine

ine morbi,maiorem omni auxilio
ſtitutam, vel proprio ſanguine de-
ertam crudeliter. Non tamen ſua-
o ignauam vel temerariam Tur-
rum fiduciam, qua pro fallaci re-
gionis ſpe cunctis ſe familiariter
ommiſcent languentibus? Sed quod
rudentes hortabantur Hiſpalenſes
edici in vltima peſtilenti conſtitu-
one, quæ nobilem Ciuitatem ad in-
rnecionem exurebat: decreuerunt
octiſſimis monumentis eam ſingu-
orum mentibus inſinuare opinio-
em, nullum ſcilicet ineſſe morbo
raſſanti contagium (vt *Oropeſa*
octiſſime in particulari tractatu)
on quod ſic eſſe exiſtimarent, ſed vt
olitico ſimul ac pio, vt ita loquar,
ophiſmat,eplusquam ferina crudeli-
ate,qua parentes in filiis, filij in pa-
entibus, coniuges in ſe inuicem de-
erendis vtebantur, exuerent ciuium
nimos. Simili conſtantia clarum
uncta pericula qui ſuperare pro re-
gione,pro principe,pro patria non
ubitauerit, apponam pro corolla-
rio

rio meritissimum *Octauium Franchinum* Medicum Veronensem, qui solus in hac inclyta Veronæ Ciuitate crudeli peste semiconsumpta in nosocomijs, & publicis valetudinarijs, ac postmodum in ipsa Metropoli ac principe Vrbe constantiæ ac peritiæ præclarum dedit specimen, vt per labores, per pericula, per mille ægrotantium obseruationes, melius quam per Auctorum præcepta profligare docuerit. Similes igitur viuos Auctores sequatur medicus, potius quam copiosa, & onerosa volumina fastuosis titulis inflata, edita forsan ab auctoribus, qui nunquam pestem viderint, præceptis quæ nusquam medendo didicerunt, hinc inde compilatis, credulum vulgus deludentes. Imbuatur tamen recta curandæ pestilentiæ methodo, & varia alexipharmacorum ex omni medicina, vegetabili, minerali, ac animali collectorum notitia apprime instruatur: libris præsertim *Galeni* DE ANTIDOTIS, & DE THERIACA ad Pisonem vigi-

lan-

lantissime sæpe sæpius perlustratis.

Venena tandem extinguere quoniam par ferme argumentum, & pestes suo modo sunt deleteria pharmaca, cum non semel per ipsa diffusum sit in mortales pestilens contagium, vt ex *Niceo*, *Xiphilino*, *Liuio*, *Cardano*, & *Iobolo* satis constat, docuit peritissime eques *Franciscus Pona* Medicus Veronẽsis celeberrimus, pro exquisita qua pollet alexipharmacorum notitia. Sed quia breuissime illa complexus est, moneo vt post Dioscoridem vtaris *Ardoyno*, *Greuinio*, *Aponense*, *Baccio*, & *Preuotio* expertientissimo. In Botanica post *Anazarbæum* naturæ genium consule multos, *Dalechampium*, *Dodoneum*, *Lacunam*, *Amatum*, elegantissimi sermonis *Ruellium*, *Clusium*, *Lobelium*, *Columnam*, & sexcẽtos. Sed qui vtiles simul dabit cum dulci plantarum cognitione vberrimos fructus, vnus erit *Mathiolus*, & hic sit tibi instar multorum: quoniam præcipuus ei finis plantarum facultates ac virtutes perscrutari

perscrutari, nec in externa figuræ elegantia tantum sistere: quamuis, & hoc non indecorum videbitur librũ. *Hortus estetensis* vere regium perlustranti. Quod certe dignum est propter tabularum & iconum elegantiam nobile Besleri molimentum, vt in Principum pinacothecis inter gemmas, & aurũ asseruetur. Cæterum vnicum opus in re herbaria desideratur: quod plantas omnes hactenus descriptas, & a præfatis, & cũctis alijs auctoribus cognitas in vnũ corpus congregaret. *Bauhinum* diligentissimum hanc suscepisse prouinciam, quin etiam superasse, indicat immensi laboris & notitiæ Pinax ille admirandus. Interim donec theatrum illud naturæ nascitur, vtere nomenclatore pinace, vt vix tibi subterfugiat vel minimum nomen, quãtumuis obliteratum, aut obsoletum. Sed vnus adhuc in hoc genere restat liber tibi præcunctis amplectendus ac sæpe euoluendus. Perlustratio nimirum impigra, & oculata hortorũ

Patauini.

atauini, Leydensis, Parisiensis, Mon-
peliensis, Pisanies, similium, & fine
co Montis Baldi ditionis Veronen-
s, qui miro naturæ beneficio Idam
mosum vel æmulatur, vel superat.
æc est quarta medicinæ pars quæ
on potest per solos libros perfici:
ligenti indiget exercitatione, non
inori quam anatome, quam pul-
um cognitio, quam pestis medela.
RVSTICAE REI *Autores* non mi-
is poterunt eruditi Medici Biblio-
ecam nobilitare; Mirum, posse ru-
cos quemquam nobilem efficere.
uidni, si *Constantinum Cæsarem*, cui
IBRI DE AGRICVLTVRA verè
scribuntur, numerent inter agrico-
s? Circumferri solent hæc scripta
b nomine *Cassij Dionysij*, sed eru-
torum iudicio iam redduntur Cæ
ri quæ Cesaris sunt. Plura conti-
nt medica tum propria, tum ex
tustissimis authorib⁹ exerpta Didy
o, Sotione, Paxamo, Damogerõte,
puleio, & alijs. Nec Romanis agri-
lis defuit sua nobilitas, si *Catones*,
&

& *Varrones* perscruteris gẽtilitio stẽ mate, & agrorum peritia æquales Horum operibus sociantur *Columel læ*, & *Palladij* peritissimorum monu menta. ex quibus desumpsere neote rici artis fundamentum. Sic *Liebau tius* sermone Gallico suam feliciter ædificauit *Domum Rusticam*. Hanc si legeris latinam, nihil erit in geopo nicis quod desideres. Tandem hoc vnum vtilitatis præstare tibi poterit Rusticorum authorum lectio, quod Botanicæ amorem ac studium am plissime adaugebit.

Ex vtraque India RES EXOTI CAS mira diligentia nobis asporta runt *Garcias ab Horto*, *Monardes*, *à Costa*, & *Huerta* nouus Plinius noui Orbis in notis ad Nouocomensem Plinium: & tandem multi sparsim multa quæ in *Rhamusii* libris DE NAVIGATIONE, & in *Peruani Garcilassi* Ingæ Regijs commentarijs auidiorem implere possunt curiosi tatem. Sed quæ simul curiosos rari tatem. Sed quæ simul curiosos rari tate pascant, & medicinæ stu

diosos

iosos vtili notitia erudiant, monu-
menta sunt doctissimorum virorum
Caroli Clusii, & *Prosperi Alpini*. Ille
qui res tum orientis, tum morientis
solis ab alijs aduectas in iusta volu-
mina concluserit, hic medicinam, &
plantas Aegyptiorum singulari ex-
coluerit amęnitate, quem imitati
sunt *Bonzius* Indorum, *Guill. Piso*, &
Georg. Marcgrauius Brasiliensium
medicinã, & naturaliũ historiam Eu-
ropęos accuratissimè docentes. Hos
lege, vt alij simul tibi innotescant.
DE ANIMALIBVS post *Philoso-
phum*, & *Auicennam*, *Albertus Ma-
gnus* magna solertia, sed expresse
animalium in medicina vsum (taceo
quæ *Rondeletius*, *Gesnerus*, & *Aldro-
uandus* congesserũt) *Dioscorides* enar-
rauit lib. 2. *Rhasis* lib. DE SEXA-
GINTA ANIMALIVM VIRTVTI-
BVS, & *Sextus Philosophus Platonicus*,
quem curiose satis explanauit *Ga-
briel Humelbergius*; & nuperrime
Dauid Rulandus, & *Ioannes Schrode-
rus*, hic vniuersali, ille particulari, &

specifica structa pharmacopœa.

DE GEMMIS, & LAPIDIBVS post *Euacem* antiquissimum nemo accuratius *Anselmo Boetio*. Quamuis *Baccius*, *Camillus Leonardus*, & *Scudalupis*, multa ex syderum influxu curiosissima consarcinauerint.

DE MINERALIBVS etsi materia sit in chymicorum manibus, & operibus adeo frequens, cunctis palmam præripuit *Georgius Agricola*, quamuis *Fallopius* non sit contemnendus libro DE FOSSILIBVS eruditissimo. in quo de Balneis, & Aquis Thermalibus doctissime disseruit, Balnea quædam italica præcipue examinans, vt Solenander Germanica.

IN RE CIBARIA post *Antiochenum Sethi*, auctorem non mediocris famæ, *Alexander Petronius*, *Ioannes Bruyerinus*. Et sæuiorem famem aut aridiorem sitim quouis *Apicio*, quouis *Platina* si non suauius, saltem vtilius extinguere poterunt. Nec *Durantus Castor* est contemnédus

lus, vir in ſimplici medicina verſatiſ-
ſim⁹. Sed illi ſint tibi Polluces, vt im-
mortale ſit Bibliothecæ tuæ decus.
Ab horũ præceptis ſaluberrimis ne
abeas ieiunus, quæ auide legiſſet ip-
ſe Galenus, ſi pro ſorte naſcendi il-
lum præiuiſsẽt, nõ ſecus quam *Athe-
næi*, & *Plutarchi* eruditiſſima cõuiuia,
quæ tantopere ab eo commendan-
tur; quapropter neque ab eius lauto
eruditis prandijs abhorreat perfe-
ctus Medicus.

PHARMACEVTICIS auctoribus
noli carere. Memento *Galenum* in his
mira ſcripſiſſe, compoſuiſſe. Præpo-
ſito igitur *Meſue*, qui in hac artis
parte vera iecit fundamenta, fami-
liares habeat Bibliotheca *Renodæum*,
VVecherum, *Quercetanum*, *Schrode-
rum*, & *Auguſtanorum* *Antidotarium*
cum Notis *Zuuelferi*. Horũ electiſſi-
mis operibus quod adde re poſſis cer
te neſcias. Adeo optimis pręceptis, et
omnigenis medicamentis ſunt inſtru
cta. In diuerſis tamen regionib⁹ quin
etiam, & Vrbibus ſua ſunt propria, &

vſualia medicamina: quorum deſcri-
ptiones non inueniuntur in alijs An-
tidotarijs. Quare non erit abs re illa
ſeligere. Romano namque multa
curioſa habentur, quæ in alijs deſide-
rantur. Sic in *Valentino* ſua propria
regionis pharmaca: ſic in *Bauderonio*,
quo maior pars Galliæ nunc vtitur.
Sic in *Florentina Pharmacopœa*, *Nea-
politana*, *Bergomenſe*, *Hiſpalenſe*, Am-
ſtelodamenſe, & alijs: ſed *Veneta Ste-
chini* diligentiſſima multorum vndi-
quaque remediorum congerie præ
cæteris commendatur.

CHIRVRGICA officina multos
admittat: ſed perfecti Medici Biblio-
theca ornetur *Guidone*, *Argelata*, *Vi-
gone*, *Pareo*, *Tagaultio*, *Chalmeteo*: &
Hiſpanis, *Fragoſio*, *Daza*, & *Alcazare*
doctiſſimis. Peritiſſimi certe ſunt iſti.
Sed ſuperſunt in admiratione homi-
num duo Italiæ lumina, ad quorum
manus obſtupuiſſet veneranda vetu-
ſtas cum ſuo Chirone; cum ſuis Ma-
chaonibus, ac Podalirijs. Horũ pri-
mus eſt magnus ille ab *Aquapendẽte*,

quem

quem inuida parca Italię rapuit ante diem, vt par ſolertia, vt operandi felicitas in *Marcheto* reuiuiſceret dignisſimo Diui Marci Equite, & profeſſore meritisſimo. Lib. F. ab Aquapendente legat ac perlegat tyro. At ipſum *Marchetum* in Chirurgica praxi dum posſit non deſerat: cuius filius eſt magnæ ſpei iuuenis, ingenij admirandi, & microcoſmicæ geographiæ explorator diligentisſimus. Secundus qui ſecundo vento, & expāſis inter inuidiæ ſcopulos fortunæ velis *M. Aurelius Seuerinus* æquor procelloſū chirurgię ſecurus tranſfretat, ditisſimas in vniuerſum orbem tranſuehendo eruditionis merces, quas in nundinis litteratorū non ſolum per libros efficacis doctrinæ plenos, ſed per efficacisſimam comitatem & magneticam morum ſuauitatē mire diſtribuit. Eius libri de *Efficaci medicina, de recondita abſceſsuum natura, de Vipera Pythia* & alij, reconditis ac fauſtis medicinæ oraculis, eruditā implebunt bibliothecam.

DE MORBIS CVTANEIS egerũt post Principes medicinæ practici celebriores, solis Chirurgis adeo difficilem prouinciam nō audentes committere. quia non in sola exterior cute subsistēdũ est: altius solerti indagine quærenda radix, quantumuis externa turpitudo prçsentaneam manum tantummodo videatur expetere. Disce hinc quam arcta coniungantur affinitate Physica, & Chirurgia, quam exquisite ac integre calleat Medicus, ni velit a perfectione Hippocratica penit' aberrare. Quare doctissimus *Thomas Minadous* salebrosum hoc iter morborum cut expresse suscipere voluit, libro *de Turpitudinibus humanum corpus infestantibus* elegantissime exarato. Ne similem curam neglexit eruditissim *Mercurialis*. Præterea magis, ad praxin quod attinet, *Io. Liebautius* accurate complexus est, quo magis i quinatis arrideret, multis ac præst tissimis appositis remedijs. Dec ram tamen ac elegantem potius ar
bire

pire videtur Cosmeticam, quam non prorsus alienam a Medico iudicauit *Plato* in Gorgia, dicens: *Cosmeticam medicinę partē, quę verā pulchritudinē tuetur, esse partem Gymnasticæ artis.* Nec illam neglexerunt veteres Medici *Galenus, Rhazis, Auicenna.* Hanc igitur diligentissime tractauit *Mercurialis.* Sed curiosissime patrio idiomate *Io. Marinellus.* Quos authores ad Bibliothecæ veram augendam pulchritudinem accerse; ijs penitus eliminatis, qui meretricios aut comptorios fucos parare doceant Christiano Medico omnino indignos.

A Cosmetica viuentis corporis deriuari non absurde potest cadaueris suo modo decoratoria, quam Balsamationē appellant. Maxime huius accurata notitia conuenit Medico: ei præsertim, qui apud Principes, & Magnates fecerit medicinam. *Et Præcepit Ioseph seruis suis Medicis vt aromatibus condirent patrem suum* Gen. cap. 50. Hoc nobile testimonium impellere potest etiam doctissimos vi-

ros de hac materia scribere, *Sebizium*, *VVeslingium*, & alios. quos consule.

DEFINITIONES MEDICAE sunt vtilissimæ scitu, immo vt memoria teneātur moneo tanquam totius artis compendium. Si enim morborum sola nomina compendiose vocari solent definitiones, Definitiones & ipsæ breues dici poterūt morborū tractatus. Adscribitur libellus Galeno, qui cum spurijs inseritur, non rejiciendus. Sed hoc argumētum integre adimpleuit *Ioannes Gorræus*. Quem legant ac sæpe perlegant tyrones, vt theoricæ doctrinæ medulla, & succo substantifico imbuantur. Nec minus accuratā cultura in simili opere insudauerat *Preuotius* eruditissimus, methodo analytica mire disposito, quod nondum excusum desideratur, sed speratur.

Ordo scribendi horum auctorum mihi perfricat memoriam vtilissimi ac valde necessarij opusculi, quod Galenus inter Isagogica nobis reliquit, vt nihil in tanto scriptore deficiat,

ciat, quod ad medicinæ perfectam intelligentiam facere possit. Hic liber est ad instar Onomastici, linguarum scilicet *apud Hippocratem obsoletarum explanatio.* In eo assidue versetur, qui Hippocratis mentem recte assequi voluerit: si præsertim propria lingua, græca nimirum illum audiat loquentem, vel si illius opera quæ Græcolatina publici iuris fecerunt *Mercurialis & Foesius* habeat præ manibus. Nec omittat similis vtilitatis *Erotiani Onomasticum*, in quo pariter voces omnes, quæ maiori indigent explanatione, ordine describuntur alphabetico. Noli perperam interpretari Galenum passim illos increpantem, qui se nominibus nimium addicunt. Scias Galenum illos carpere, qui in leuibus nominum quæstionibus ac subtilibus sophismatis agitandis, relictis rerum essentijs tempus perdunt. Alioquin non negat & ipse partem vnam esse sapientiæ, quid quodque censeatur nomine in primis nouisse. Qui enim ex libris vult [illegible]

eruere, atque penitus exprimere, necesse est vt verborum corticem ante perrūpat; nec interiora pāduntur, nisi exteriora ante patefcant. LEXICIS igitur quammultis, & varijs linguis se muniat. Nulla enim in hoc genere erunt superflua. *Lexicon Etymologicū Mathæi* Martinij sit tibi instar multorum. *Onomasticon Pollucis* est præstantissimum. Lexica græcolatina *Scapulæ, Vntzeri, Valderi, Hopperi, Crucij. Etymologicon magnum: Dictionaria medica Castelli, & Henrici Stephani* pariter sunt vtilissima. Assimilantur his laboribus *indices* accuratissimi *Mathæi Pini* in Hippocratem sed editionis Basiliēsis, & *Antonij Musæ Brasauoli* in Galeni opera omnia opus indefessæ elucubrationis, & vtilitatis inexplicabilis.

Tandem qui VNIVERSAM MEDICINĀ congesserunt, vt sunt multi, si pro multis vnus est *Fernelius* diuin. Vir ingenij, supra antiquos qui val de se extollit acumine, & doctrina Non patitur eius dignitas, vt appon

so-

ſocios. Solus laudetur in vniuerſa medicina, quoniam ab alijs non attingitur. Quapropter caute legendus. Requirit namqne maturi iudicij medicum.

VARIAS LECTIONES medicas ingenioſiſsima criſi perſcrutati ſunt *Cagnatus*, & *Mercurialis*: Nec Medicam ſupellectilem parum adaugebit crebra lectio admirãdi *Cęl Rhodigini*, viri adeo reconditæ eruditionis, vt in hoc genere nullum hactenus habuerit æqualem. Non tamen careat Medicus, vt ſimul cum perfectione ſit ornatus, nobiliſſimis *Scaligeris*. *Iulius* inter multa dabit in Theophraſtum de Hiſtoria plantarum elegantiſſima commentaria: Exercitationes acutiſſimas contra *Cardanũ*. Quid? & huius inſignis ingenij obliuiſcemur? certe iniuriam fecerimus: multa curioſa congeſsit Vir omnium rerum ſcientiſsimus, non tamen in eis pretioſum conterendum tempus: concedi illi poſſunt horæ ſubciſiuæ, præſertim cum quædam ſint aliquantisper

 ſuſpecta,

ſuſpecta: multa vero quæ ad Iatromathematicam faciunt ſunt vtiliſsima: præcipue quæ in Aphoriſmos Hippocratis docte exarauit,

Nec pretioſa iſta Iatromathematicæ gemma debet carere Medici ornatus, in qua elaboranda poſt admirandum *Ptolomeum* diligentiſsimum artificē ſe exhibuit *Iunctinus* in Speculo Aſtronomiæ, & expreſſe pro medica doctrina *Iouianus Pōtanus*, *Maginus*, *Ficinus*, & celeſtis phyſiognomicus *Porta*; auctores egregij. Sed vnū pro iſta laborioſa ac difficili diſciplina maxime aduertēdum, quod requirat peritiſsimum artificem. Nec audeat quiſque Medicus eius abſtruſis calculis facile ſe tradere, abſq; recta & peritiſsima aſtrorū cognitione. Poterit tamē vti pro diurna in ęgrotis accidentium obſeruatione Ephemeridibus quæ Sizygias planetarum ad inuicem, & luminarium coniunctiones ac varios aſpectus accuratiſſime delineant, quod requirebat Galenus lib. 3. [illegible]

quod

Quod argumentum varia eruditione exornatum præ omnibus nobis dedit *Antonius Maginus*. Sed in accurata calculandi veritate nullus neotericorum *Argolum* ſuperauit, virum in hac arte ad Patauinæ Academiæ gloriam ſingularis ingenij.

Nec in progreſſu huius argumenti deguſtaſſe erit indecôrum ſuauiſſima fercula ętthereis ambroſijs anteponēda: ſcripta ſunt *Scheineri*, *&* *KirKeri* doctiſſima. Hic qui pręter multa eruditiſſima, artem magnam lucis, & vmbræ lucidiſſime conſtruxit: qui Magnetem tam alte examinauit, vt illum regijs productis experimentis nō examinaſſe credam, ſed nouo ſpiritu animaſſe: Ille qui in ſole maculas ſeu faculas, vt ipſe vocat, varios ac inauditos earum motus, ac periodicas per ipſummet corpus ſolare circulationes non minus oculatè quam verę obſeruauit, vt in *Roſa Vrſina* opere elaboratiſſimo teſtatum reliquit. Vt interim *Galilæum* ſuperi- [illegible]

[illegible]

mittens nouos planetas, eorumque nouas choreas, miri telescopij a se inuenti beneficio detexit.

Sed ista curiosa sunt nimis: ad bene medendum quæ tamen nihil faciant. At pro philosophica speculatione nihil prclarius, qua, vt diximus, debet Medicus in primis initiari, imitatione Hippocratis, & Galeni. Nec minus tamē GEOMETRICA cognitione, quæ toties ab eodē celebratur, eos irridente qui medicinę fastigium crediderint se adepturos absq; Geometriæ peritia lib. quod si quis opt. Medic. & lib. 1. meth. med. Quapropter accerseatur in eruditam Bibliothecam Megarensis *Euclides*, cui *Clauius* associetur illustrator accuratissimus qui claui admirāda, abstrusioris Geometriæ adyta fideliter reserauit. Sed si in his *Renato Cartesio* adhæreas, nulla claui iam opus erit: pandentur tibi reconditioris matheseos obseratæ portæ: & quod olim optasset forsan Archimedes, idipsum, felix hoc seculum vnius Cartesii solertia adipiscitur.

Sed

Sed iam reuertor ad omniſcios *Scaligeros*, præter relata *Iulij* ſcripta habetur doctiſſima interpretatio & elucidatio Libri Hippocratis de inſomnijs. Quo in argumẽto nuper ingenij mirum acumen exhibuit *Hieronymus Franzoſius* Medicus Veroneſis celeberrimus. Nec *Ioſephus* filius (Scaligerum dico) medicos parum exornabit. Non afferam in medium opus illud plane diuinum de Emendatione temporum, quod vir polyglottos, quatuordecim nimirum linguarum Barthaſii teſtimonio, ad elegantiam callentiſſimus elucubrauit. Sufficiat Medicis vidiſſe Commentaria in Philoſophi libros de Hiſtoria & Generat. Animalium. Argumẽtum & auctores nominaſſe ſat eſt, vt ab ampliori abſtineam commendatione.

Hoc argumentum quamuis procul ab Ariſtotelico calle opulentiſſime impleuere *Geſnerus*, *Aldrouandus*. In horum ſcriptis ſi per otium deambulare animum permittas, exi-

ſti-

ſtimabis ſedere te in mirifico naturæ theatro ſpectatorem. Labores sũt immenſæ molis, doctrinæ, eruditionis ingentes humanioris litteraturæ diuitias complectentes.

Et quoniam ornatum iam quærimus ſupra perfectionem medicam multifariæ lectionis ab alijs etiam num diſciplinis mutuatos auctores non raro euoluat: *Homerum* præcipue vatem clariſſimum, qui merito litterarum parens, & doctrinarum fons perhibetur a celeberrimis ſcriptoribus. Inter quos ſtructura elegãt *Andreas Tiraquellus* peritiſsimum Medicum pronuntiat Homerum, & in ſingulis artis partibus verſatiſsimum.

Sed quandoquidem de nobiliſsimo Tiraquello ſermo incidit, illum ſcias ex omni bonarum litterarum penu amœniſsima atq; elegantiſsima collegiſſe, vt Bibliothecã medicam & ipſe extrueret, diuerſo tamen fine. Opus eſt multiplici rerum ornatu refertum: nec illo inſalutato cultu-

ram

am multam præsumat Medicus. Curiose igitur legatur, caput præsertim trigesimum primum *de Nobilitate*, & liber *de legibus connubialibus*, quæ ad variam lectionem medicam locupletandam apprime valent.

Post illum ex legum disciplina eligere sibi poterit doctissimum *Gregorium Tolosanũ* in Artis mirabilis syntaxi, eiusque lectissimis commentarijs: *Bartholomæum Cassaneum* in Catalogo gloriæ mundi. *Antonium Guibertum* in Polyhistore curiosissimo: *Mantuam Benauidium* in Polymathia ingeniosissima: *Thomam Morum* in bene morata Vtopia: *Stephanum Forcatulum* in prisco Gallorum Imperio: *Pancirolum* in nouiter inuentis ac deperditis, *Budæum* tandem Græcæ, & Latinæ facundiæ in vno Asse litissimum scriptorem. Hos & multos alios huius ordinis pro humanioris literaturæ, aut philosophiæ augenda supellectile, in suam Bibliothecam conuocare recte possit eruditus Medicus. Sed quæ expresse ad

ipſum faciant mirabili ſagacitate extraxit omniſcius *Paulus Zachias*, & in Quęſtiones Medico-legales ſapiēter extruxit, nobiles certe ac vtiliſsimas. Hinc catena illa aurea, hinc annulus ille Homericus omnium liberalium artium colligantia mirabilis micat ardentius, vt ſcias quid ſibi inuicem præſtent nobiliſsimæ diſciplinarum Iuriſprudentia, & Medicina: quid ab alterutra vtraque mutuetur. Grauiſsimum hunc authorem legite prouectiores Medici dignitatis ve ſtræ aſſertorem nobiliſsimum.

Sed pergat eruditus Medicus bibliothecam conſtruere, vt non ſolum Medico-legales ſed Medico encyclopædicas poſsit quæſtiones cōtrouertere. Addat itaque ex altiori ordine in Diuina Ciuitate *Auguſtinum Sanctum*: in Hierarchijs *Dionyſium*: in Euangelica præparatione *Cæsarienſem Euſebium*: In Etymologicis *Iſidorum*: *Caſſiodorum* in varijs: Platonizantem *Philonem in legibus*: *in Palli* antiquiſsimum *Tertullianum*: in Heptaplo

taplo Mirandulanum *Picum*, Orbis miraculum: In Hieroglyphicis *Valerianum*: In numerorum myſterijs *Bergomenſem Bũgum*: *Firmianum* in Diuinis inſtitutionibus: *Alexãdrinum Clemẽtem* in Stromatis: *Bedam* Anglo Saxonem in Chronologicis: *Boetium* in Diuiſionibus & Muſicis: *Martinum Delrio* in Magicis diſquiſitionibus: In Solymorum diuitijs *Pinedam*: *Maluendam* in Antichriſto: in æternitate ſuauiſsimum *Drexelium*: electiſsimũ *Nouarinum* in Electis ſacris, & mille electis omnimodæ eruditionis, & ſolidæ doctrinæ operibus, vt ſibi paret arcem omnium diſciplinarum munitiſsimam. Nec cum Muſis humanioribus ſit minus humanus, & comis; ſed horas occupet ſubciſiuas cum *Biſciola* litteratiſsimo: Dies caniculares cum lepidiſsimo *Maiolo*: Geniales cum Alexandro *Neapolitano*: In Noctibus diuerſetur apud *Agellium*: In Septimanis apud *Barthaſium* Chriſtianum Sarronidem: Menſes, & annos apud *Theodorum*, & *Lilium Giral-*

dum

dum vtiliter traducat, & antiqua se-
cula apud *Diodorum*, *Philonem*, & Be-
rosum cõmemoret. Porro pro hone-
sta disciplina *Crinitum* aduocet: pro
doctrina promiscua *Galeotũ Martiũ*
in omnimoda Historia enarranda
Dextrũ consulat. In multa *Solinũ*: In
varia *Leonicum Thomaeum*: In virida-
rijs deambulet cum *Mendoza*: & cum
venustissimo *Pelicerio* longæuum au-
cupetur Phœnicem: In corollarijs o-
netur *Hermolao Barbaro*: In parallel
adæquatissimo *Caussino*: In Papyr
Guilandinus primus adscribatur: I
pentacontarchis *Ramirezius de Pra-
do*: Curiosa philosophica exigat
Nierembergio eruditissimo: inaudit
a *Gaffarello*, Orientis ab vna Gall
sagacissimo exploratore: In rece
sendis rerum inuentoribus *Polyd*
rum, & *Sardũ* audiat, & in Argona
ticis Americe periculis *Bisselium* a
miretur. A prodigijs cum *Obsequen*
obstupescat: & naturæ, & artis mira
cula cum *Seruio* perscrutetur: apu
ornatissimum *Ferrarium* pretio
ornetur

netur priſcorum veſtibus; vt cum *uchio*, & *Bulengero* lautiſsimis antiquorum menſis accumbat.

Si politico Chriſtianis delectetur *arquezium*, *Scribanū*, & *Ribadeneyram* ſæpe perlegat: Si tabularum capiatur elegantia *Philoſtratum* cum *generoso* oculis perluſtret: Icones animorum a *Barclaio* mutuetur: & Principis imaginē ab vno exaret *Balzaco* allicæ eloquentiæ vere principe: & rara & curioſa in muſeo deficiant n *Peireſchio* diu conuerſetur, fideer apud *Gaſſendum* adhuc reſpirā. Reſtat vt litteratos, & inſignes vi vndequaque in muſeum conuo-. Huius negotij eruditiſsimo *Imriali* curam imponat; ipſe libenter ducet cunctis litteratis notiſsimus. ibus tandem in erudiendis litteiſsimum *Danielem Bartholi* nunm deſerat: ſed ſemper ad vnguem tetur. Optarem præterea vt cum *Lifio* Muſarum alumno dilectiſsi fideles cōtraheret Medicus amiias. In illius tamen mira elocutio-

ne vellem, vt a primis studijs iecisset fūdamēta sermonis exculti. Ni enim assuetus fuerit robustiori huic cibo ventriculus, fatuas ac insulsas propemodum congeret cruditates. Prouectiores anni, vel defesso iam laborantes calido perperam adoriuntur neruosum hoc styli genus. Potest quidem, etsi illud non suppetat, nihil de perfectione Medico deficere. Carebit ornatu, non sapientia. Multos ego noui, apud Hispanos præsertim, viros in arte medica, quin & alijs disciplinis peritissimos, eloquio tamē prorsus barbaros ac ineruditos. Quod in Socrate olim hominum sapiētissimo adnotatum est. Diuersa sunt temperamenta, quæ eloquij facundiam, quæ ingenii subtilitatem, quæ praxis prudentiam pariunt: vna præ cæteris scientijs medicina plus gaudet compleri rebus, quam verbis: & medicamenta sunt, quæ morbos curant, non politi sermones. Attamen non inglorium erit, si disertus fuerit Medicus; indulgeat quandoque Musis, non in

decorum:

corum: Sorores ipsæ sunt Apolli-
s, cuius filia medicina. Sæpe latet
b tegmine carminum salubris me-
icina (non intelligo carminibus cu-
ri morbos, absit indignum facinus,
sint anilia a dignitate Christiani
edici) sed ex veterum poetarum
onumentis quamplurima erui pos-
puto, quæ ad Medici eruditionem
vtilitatem apprime faciãt. Nuper-
ne eruditissimus *Loticbius* ex vno
tronio Arbitro physico-medica ex-
axit scitu dignissima, quæ in elegan-
ssima commentaria dispcsuit, im-
ortale nomen ipsi comparatura.
enim multiiuga disciplina, & rerũ
pla seges sola potest supra vulgi
scuritatem Medicum extollere.
n magni *Fernelij* diuinis lucubra-
nibus quicquam demitur ponde-
propter dicendi venustatem? An
acastorii diuina Calliope decretam
natusconsulto propter artis Me-
cæ præstantiam, marmoream sta-
am potuerit diruere: quin po-
s extructa amœnissima Siphili e
neum

nouum erigere simulachrum? Sed stricta oratione prætermissa, in qua olim claruere *Lucretius, Aratus, Damocrates, Oppianus, Macer, Serenus, Nicander*, & vnus princeps *Abensina*, qui meliorem medicinæ partem per cantica, i. per Metros idiomate Persico posteris tradere non erubuere. Historicos, & Geographos pertractasse vtilissimum semper iudicaui, v in eis accurate obseruet, quæ circa mores hominum, quæ circa regionum temperamenta ac temporum accidentia euenerint: non parum ist ad Medicum facient. Ex Geographi igitur, post Strabonem, Melam, Dionysiũ nobiles ac veteres scriptores elige cum delectu, quos legas cum delectatione, *Ortelium, Bertium, M ginum*. Sed ex vno *Atlantis* cacumine totum orbem perlustra: & ex Historicis vide quam diligenter *Thucydides* pestem descripserit, qualem v quam fuisse memoratur lib. 2. cap. belli Peloponesiaci. Vide *Liuium* v rijs rarisque portentis, quos vndiq

Iulius

lius obſequens compilauit, opus
um diſſeminantem, Philoſophos
iæ debeant ad cauſarum natura-
um perſcrutationem excitare; pe-
m & ipſe narrat memorabilem ex
neficijs ortam lib. 8. decad. 1. *Am-*
anus Marcellinus: aliam mirę ori-
nis lib. 20. Denique pauci ſunt ex
leberrimis auctoribus, qui vel mor-
os epidemios, aeris nouas corrup-
ones, hominum diſpoſitiones: ani-
alium, plantarum, lapidum, aqua-
n, aut fontium virtutes ac admi-
ndas facultates non referant. Non
tur ſciuiſſe pudeat quid *Plutar-*
us de fanatica Mileſiarum Virgi-
m lue prodiderit: quid *Strabo* de
lij Galli exercitu: quid *Polydorus*
rgilius de ſudore Anglico: quid *Io-*
bus de raro morbo Herodis ma-
i: quid *Herodotus* de Scytharũ in-
nitate: quid tandem *Diodorus*,
ocopius, *Oroſius*, *Cedrenus*, *Iornan-*
, & ſexcenti ſimiliter exarauerint,
colle&a omnia in medicam ſupel-
tilem coaceruet, & librum admi-

D randum

randum *Hippocratis de aere, aquis, &*
locis, in Historicorum monument
sparsim perlegat.

Sed iam audio iustas philosopho-
rum querelas, quod nimis digred
videar absque illorum enumeratio-
ne; debuissem certe illos præponere
cum ibi incipiat medicus, vbi defini
Philosophus, nec vllo pacto perfe-
ctus dici possit, qui præceptis Philo-
sophicis nō fuerit ad vnguē imbutus.
Ipsamet de causa volui medicam Bi-
bliothecam Philosophis claudere
tanquam corona, & anima quadam
totum corpus medicinę informante.
Absētibus igitur naturæ magnis isti
numinib⁹ *Aristotele, Auerroe, Platone,*
Plotino, Seneca, P ... ãdro, Plinio, Theo-
phrasto, Aphrodiseo, Plutarcho, vi
credeMedico. Peripateticos tamē se-
quere, vt sis Philosoph⁹; Academicos
vt sis doctus; Stoicos, vt sis sapiens.
Plinium illustrando longe alios su-
perauit *Claudius Salmasius*: *Pluta-*
chum extreme cōmendat acutissimu
Michael a Montagna; ditissimum S

am dum suum sibi facit *Lipsius*, gis ditat: Platonem sapientissimũ *inus* erudit: Aristotelem demum gnus commentator *Auerroes*. In ibus duobus elucidandis in dies tatim insudant Europæ Lycea ceriora. Ex quibus omnib⁹ pretion ac seminificũ sal affabre elicuit bilis ille Venetus *Bernardus* nobili opere totius *Philosophiæ Semina*-. Sed quæ aptius ad Medicum spent omnium diligentius congessit a Conimbrica. Nec absit grauis *bertus Magnus* a tuo Philosophon cœtu; nō sapientissimus *Niphus*; n *Licetus* inexhaustæ eruditionis ;non *Cottunius*, quem Athenæ libēexoptassent; non *Berigardus* in Pihum tanquam in circulum Aristois genium ab inferis reuocans: non ndem Hermeticus *Nollius*, si in Ari tele Hermetem, si in Hermete Aritelem velis admirari (quod felicisnè etiam complexus est *Sennertus*) *lbertus*, & *Niphus* elapsis seculis co familiarem habuerunt Stagiri-

tam, vt coetaneos crederes: nost
vero, ad miraculum vſque *Centen*
Cremoninus; ſed forſitan nimis anx
nimis mordicus ſuo damno. Cauca
mortales a ſyrtibus: intricatæ, & a
ſtruſæ Ariſtotelis ſententiæ ſubtili
ribus illaqueandis aptæ ingenijs,
terprete indigebant *Angelo*; ſic A
gelicus *Thomas* Ariſtotelẽ *dum* e
plicat, Chriſtianum facit, nõ eſt, qu
Ariſtoteles quẽquam faciat ethnic
Perperam conantur Philoſophi n
tiri cœleſtia pede geometrico, p
ſcrutari oculis naturæ arcana re
gionis: in his libro vitæ Chriſto co
ſtanter inhærendum.

Quapropter ſacra induatur arm
tura Medicus, ſacro ornetur codi
in quo inueniet medicina ſuam c
ginem, Creatorem ſuum immor
lem, ſuam laudem, ornatum, co
mendationem, & ex artis partib
diæteticam, ciborũ delectum, Gy
naſticam, Chirurgicam, pharmace
ticam, plantarum ac lapidum m
virtutes, morborum varias deſcri
tiones

nes, causas, origines, & ex abstru-
naturæ miraculis admirandas cu-
tiones, vt hinc ore aureo clamaue-
Chrysostomus Homil 29. in Gen.
llam esse in humana natura cor-
ris vel animi passionem, quæ me-
cinam hinc accipere nequeat.
uid plura? Totius tandem Philoso-
iæ basim ac fundamentum: in illo
im nō desiderabis Dialecticam, si
bi colloquia, & soliloquia exami-
s; non Rhetoricam, si altiloquum
[illegible]; non Me-
physicam, si alitem Patmeum,
iinum *Ioannem*, aut *Ezechielem* la-
ryntheum; non Poeticam, si *psalmo-
aphum Regem*; non iurispruden-
m, si sacrum legislatorem; non
hicâ aut Oeconomicam, si *Salomo-
m*, non Politicam, si *Samuelem*; non
eometriam, si *Iosuem*: nō Historiam
mum aut chronicam, si totum per-
gas? Hinc est quod celeberrimi au-
ores Medici, ea quæ in sacris pa-
nis physicè de herbis, lapidibus,
nimantibus, aut de morbis scribun-

tur, aggreſſi ſunt enucleare *Leuinus Lemnius, Rueus, Buſtamantinus, Hieronymus Bardus, Guil. Ader, Franzius,* & alij, quibus palmam præripuit doctiſſimus *Valleſius*, vt interim primi nominis Theologos & Sanctos Viros taceã, *Pererios, Pinedas, Baſilios, Chryſoſtomos, Ambroſios*, qui de opere creationis hexamerones facundiſſimæ eruditionis ac doctrinæ plenos conſtruentes, totam ferme naturam in ſacro codice radicitus examinarunt. Caueat tamen ſapiens Medicus ne ſacrorum opera ingeniorum in ſpeciem, & cultum parietum comparentur.

AV-

VC TORVM
igitur hic elenchus
esto.
ACRA VOLVMINA.

MEDICI.

A

A Benzoar.
Actuarius.
Aegineta *Paulus.*
Aetius.
gricola *Georgius.*
bucasis.
cazar *Andreas.*
exandrinus *Iulius.*
timarus *Donatus Antonius.*
zaharauius.
ngelutius *Theodorus.*
nselmus *Aurelius.*
ntidotarium Romanum.
ponensis *Petrus.*

Ab Aquapendente *Hier. Fabric.*
Ardoinus *Santes.*
Aretæus.
Argelata *Petrus.*
Afellius *Caſpar.*
Augenius *Horatius.*
Auicenna.
Aurelianus *Cœlius.*
Auſtrius *Sebaſtianus.*

B

BAccius *Andreas.*
Bagellardus *Paulus.*
Baldus *Camillus.*
Barrera *Oliua de Nantes.*
Bartholinus *Thomas.*
Bauderonius *Ioannes.*
Bauhinus *Caſpar.*
BecKerus *Daniel.*
Beguinus *Ioannes.*
Bellunenſis *Andreas.*
Beniuenius *Antonius.*
Beslerus *Baſilius.*
Beuerouicius *Ioannes.*
Boetius de Boot. *Anſelmus.*

A Bra

A Bra *Henricus*.
Brachelius *Ieremias Triuerius*.
Braſauolus Antonius *Muſa*.
Brauus *Ioannes*.
A Breu Alexis.
Bruyerinus *Ioannes*.

C

CApiuaccius *Hieronymus*.
Carrerius *Petrus Garcias*.
Caſulanus *Proto*.
Caſtellus *Petrus*.
A Caſtro *Ezechiel*.
Petrus.
Rodericus.
Stephanus Rodericus.
Cauliacus *Guido*.
Celſus *Cornelius*.
Chalmeteus Antonius.
Claudinus *Iulius Cæſar*.
Cluſius *Carolus*.
Codronchus *Baptiſta*.
Collius *Ludouicus*.
Columbus *Realdus*.
Columna *Fabius*.

Conringius *Hermannus*.
Constantinus *Cæsar*.
Corradinus *Balthasar*.
Costæus *Ioannes*.
Cremonensis *Gerhardus*.
Crollius *Osuualdus*.

D

DAlechampius *Iacobus*.
Daza *Dionysius*.
Deusingius *Antonius*.
Dioscorides *Anazarbæus*.
Dodoneus *Rembertus*.
Donatus *Marcellus*.
Durantes *Castor*.
Duretus *Ludouicus*.

E

ERotiani *Onomasticon*.
Euax.

F

FAber *Ioannes*.
Fallopius *Gabriel*.
Fauentinus *Leonellus*.

Fer-

Ferdinandus *Epiphanius*.
Fernelius *Ioannes*.
Ferrus *Alphonſus*.
Ficinus *Marſilius*.
Fienus *Ioannes*.
Thomas.
Foeſius *Anutius*.
Fogeroles *Franciſcus*.
Fonſeca *Rodericus*.
Fontanus *Nicolaus*.
Foreſtus *Petrus*.
Fracaſtorius *Hieronymus*.
Fragoſus *Ioannes*.
Franzoſius *Hieronymus*.
Fuchſius *Leonardus*.

G

GAlenus.
Glauberus.
Gordonius *Bernardus*.
Gorræus *Ioannes*.
Guainerius *Antonius*.
Guarinonius *Chriſtophorus*.

H

HAfenreuterus.
Haliabbas.
Hartmannus *Ioannes*.

Haruæus *Gulielmus.*
Heurnius *Ioannes.*
Hildanus *Gulielmus Fabricius.*
Hippocrates Cous.
Hofmannus *Caſpar.*
Hollerius *Iacobus.*
Hornius *Ioannes.*
Horſtius *Gregorius.*
Hortus Eyſtetenſis *Besleri.*
Hucherus *Ioannes.*
Hummelbergius *Gabriel.*

I

IAcchinus *Leonardus.*
Iacotius *Deſiderius.*
Iordanus *Thomas.*
Ioubertus *Laurentius.*
Iuliarius *Paulus.*

K

KVfnerus *Georgius.*
Kyperus *Albertus.*

L

LAcuna *Andreas.*
Laurentius *Andreas.*
Lemoſius *Ludouicus.*

Leo

Leonardus Camillus.
Liebautius *Ioannes.*
Lobelius *Matthias.*
Lotichius *Petrus.*
Lusitanus *Amatus.*
Dilectus.
Zacutus.

M

MAnardus *Ioannes.*
Marcellus Empiricus.
Marinellus *Curtius.*
Ioannes.
Martianus *Prosper.*
Massa *Nicolaus.*
Massaria *Alexander.*
Matthiolus *Andreas.*
Mena *Ferdinandus.*
Mercatus *Ludouicus.*
Mercurialis *Hieronymus.*
Mesue.
Minadous *Thomas.*
Montanus *Ioannes Baptista.*
Montuus *Hieronymus*
Moreau *Renatus.*
Moronus *Matthias.*
Mynsicht *Hadrianus.*

O

Oribasius.

P

PAræus *Ambrosius*.
Pecquetus *Ioannes*.
Peramatus *Ioannes*.
Perdulcis *Bartholomæus*.
Petronius *Alexander*.
Pharmacopœa Amstelodamensis.
Augustana.
Bergomensis.
Florentina.
Hispalensis.
Neapolitana.
Valentina.
Veneta.
Pinus *Matthæus*.
Pona *Franciscus*.
Poterius *Petrus*.
Preuotius *Ioannes*.

Q

Quercetanus *Iosephus*.

R

RAnchinus *Franciscus*.
Rasis.
Raccoglitrice di *Scipione* Mercurio.

Reno-

Renodeus *Ioannes*.
Reusnerus *Hieronymus*.
Rhodius *Ioannes*.
Riolanus vterq;
Riuerius *Lazarus*.
Roboretus *Octauianus*.
Roganus *Leo*.
Rondeletius *Gulielmus*.
Ronsæus *Balduinus*.
Rorarius *Nicolaus*.
Rudius *Eustachius*.
Ruellius *Ioannes*.
Rufus Ephesius.
Rueus *Franciscus*.
Rulandus *Martinus*.
Dauid.

S

LA Sage Femme.
Sala *Angelus*.
Salius *Petrus*.
Sanctorius *Sanctorius*.
Sanderius *Leuinus*
Sanctacrux *Antonius Ponc*.
Saxonia *Hercules*.
SchencKius *Ioannes*
Schroderus *Ioannes*.
Scribonius *Largus*.

Scudalupis *Petrus.*
Sebizius *Melchior.*
Segarra *Ioannes.*
Sennertus *Daniel.*
Septalius *Ludouicus.*
Serapio.
Serenus *Quintus.*
Serna *Gallego Benites.*
Sethi *Simeon.*
Seuerinus *Marcus Aurelius.*
Signinus Cletus.
Slegelius *Paulus Marquardus.*
Solenander *Reinerus.*
Sorianus.
Spachius I*ſrael.*
Spigelius Ad*rianus.*
Sporichius I*oannes.*
Stechinus *Albertus.*
Struthius *Ioſephus.*

T

TAgaultius *Ioannes.*
Tagliacotius Io*annes.*
Theophraſtus de Plantis.
Torreus *Aloiſius.*

Trallianus *Alexander*.
Trincauellius *Victor*.
Tulpius *Nicolaus*.

V

VAleriola *Franciſcus*.
Valleſius *Franciſcus*.
Valuerde *Ioannes*.
Vega *Christophorus*.
Veiga *Thomas Rodericus*.
Veſalius *Andreas*.
VVeslingius *Ioannes*.
Vidus Vidius.
Vigo Ioannes.
Viſenacus *Damianus*.
Vlmus *Franciſcus*.
Vntzerus *Matthias*.
VVecherus Ioannes Iacobus.
VVillichius Iodocus.

Z

Zacchias *Paulus*.

E R V D I T I.

ADer *Gulielmus*.
Agellius.
Albertus Magnus.

Al-

Aldrouandus *Vlysses*.
Alexander Neapolitanus.
Alexandrinus *Clemens*.
Ambrosius *Sanctus*.
Aphrodisæus *Alexander*.
Aratus.
Areopagita *Dionysius*.
Argolus *Andreas*.
Aristoteles.
Athenæus.
Auerroes.
Augustinus *Sanctus*.

B

BAlzacus.
Barbarus *Hermolaus*.
Barclaius *Ioannes*.
Bardus *Hieronymus*.
Barthasius *Gulielmus*.
Bartholi *Daniel*.
Basilius *Sanctus*.
Beda *Venerabilis*.
Benauidius *Mantua*.
Berigardus *Claudius*.
Bernardus Io. *Baptista*.

Berosus

Berosus.
Bertius *Petrus*.
Bisciola *Lælius*.
Bisselius.
Boetius *Anselmus*.
Seuerinus.
Bontius *Iacobus*.
Budeus *Gulielmus*.
Bungus *Petrus*.
Bustamantinus *Ioannes Lecuera*.
Bulengerus *Iul. Cæsar*.

C

CAgnatus *Marsilius*.
Cardanus *Hieronymus*.
Cartesius *Renatus*.
Cassaneti *Bartholomæus*.
Cassiodorus *Aurelius*.
Cato *Marcus*.
Causinus *Nicolaus*.
Chrysostomus *Sanctus*.
Ciruelus *Petrus*.
Clauius *Christophorus*.
Columella *Iunius Moderatus*.
Conimbricenses.

Co-

Cremoninus *Cæſar*.
Crinitus *Petrus*.
Crutius *Martinus*.

D

Damocrates.
Delrio *Martinus*.
Dexter *Lucius Fabius*.
Dionyſius Afer.
Drexelius.

E

Etymologicum magnum.
Euclides.
Euſebius *Pamphilus*.

F

Ferrarius *Octauius*.
Firmianus *Lactantius*.
Forcatulus *Stephanus*.
Frantzius *VVolfgangus*.

G

GAffarellus *Iacobus*.
Galeotus *Martius*.
Gaſſendus *Petrus*.
Geſnerus *Conradus*.
Giraldus Lilius *Ferrarienſis*.
Guaccius *Franciſcus Mar ia*.
Guilandinus *Melchior*.
Guibertus *Antonius*.

H

Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Homerus.
Hopperus *Marcus*.
Ortelius *Abraham*.
Huerta.

I

IMperialis.
Iſidorus.
Iunctinus *Franciſcus*.

Piso *Nicolaus*.
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Pollux.
Pontanus *Iouianus*.
Porta *Ioannes Baptista*.
Prierias *Syluester*.
Ptolomæus *Claudius*.

R

Ramiresius a Prato *Laurentius*.
Rhodius *Ioannes*.
Ribadeneira *Ioannes*.
Rodiginus *Cælius*.
Rueus *Franciscus*.

S

Salmasius *Claudius*.
Sardus Alexander.
Scaliger *Iosephus*.
Iulius.
Scapula *Ioannes*.
Scheinerus *Christophorus*.
Scribanus *Carolus*.

Sc-

T

V

MVltos in Bibliothecam conuocaui, pauciores tamen eligi poterunt, si libet, ne sapientissimi Senecæ videar immemor, dicentis; librorum turbam onerare dicentem, non instruere, multoque satius esse paucis se auctoribus tradere, quam errare per multos. Sed vt sunt varia ac multiplicia hominum ingenia, robustiora nimirum aut imbecilliora: vt diuites sunt alijs animi, alijs humiles, & abiecti. his vnus, vel alter abũdabit autor, *Gordonij aut Bayri practiculis pro scipione inhærentes fient Medici*: Robustiora ingenia quæ calore vigent athletico, succulenta ac multa quamuis ingerant, conficiunt tamen ac digerunt; impune hi tractabunt Vallesios, Fernelios, Veigas, Duretos, Carrerios, Fabricios, Zacutos, quin etipsos accerrimos ac litigiosos Argēterios. At imbecilliora non tamen abiecta aut vilia, sed quibus natura minus concessit roboris, post Galenum aut Auicennam, Sennerto, Massariæ, vel Alti-


maro

maro diligenter inſudabunt, tironi-
cam methodumnunquam exuentes,
& ſenes adhuc redolebũt Scholarum
pueriles iũcos;e cõtrario diuites ani-
mi non coarctãtur horizonte vnico.
horum ingenijs non ſufficit orbis,
tantum abeſt vt minor librorum nu-
merus. Per orbes per libros innume-
ros peragrando, perlegendo, ad en-
cyclopædiæ vmbilicum peruenerunt
magni illi naturæ genij, & ſapientiæ
antiqua lumina; & ex neotericis non
pauci eruditionis phœnices admi-
randi: quin & Bibliothecæ ſyntaxin
Aegypti Reges docuiſſe Ariſtotelem
autor eſt Strabo. Catalogus tamen
noſter non adeo multus eſt,vt time-
re poſſit Alexandrini ſupplicium, in
quo ſeptingenta librorum millia ad-
ſcripta, pulcherrimum Regiæ opu-
lentiæ monumentum, ſiue potius
ſtudioſæ luxuriæ ſpectaculum, arſe-
runt.Non inhiet Medicus Vaticano,
Dionyſiano aut Ambroſiano libro-
rum numero. Hoc Reges decet non
priuatos homines,qui moderato iſto

 ſylla-

ſyllabo impigre ac indefeſſe verſato ac continuis vigilijs radicitus examinato, ambiant potius vt in Principum Bibliothecas inſerantur & ipſi, quam vt librorum ingentem turbam & onerosam molem coaceruent.

FINIS.






Vidquid in hoc Catalogo relatum vel exaratum fuerit, S.R.E. iugo libenter submittimus; nec lecturam eorum autorum cuiquam suademus, qui non fuerint probatæ fidei. Si tamen in quibusdam aliquid fuerit quod veram pietatem, aut erga Principes debitam reuerentiam non sapiat, inductum volumus, & vt antequam legantur, expurgationi tradantur: non enim aliter quam sic correctos & expurgatos proponimus. Autores primæ classis damnatorum vt nulli nominantur, sic quoscunq; absolute reijcimus: ex alijs, etsi aliqui sint quorum nomina a quibuscunq; fidelium operibus expungi debent, quia tamen eorum opera nihil contra veram Religionem, & orthodoxam fidem continent, & ideo per-

mit-

mittuntur, tanquam ad artium liberalium disciplinam non parum vtilia. Opera tantum recensemus, non autores, quorum nomina deleta ex suis operibus intelligimus. Et hanc nostram mentem inuiolabilem, sic vere & fideliter exponimus. Veronæ 26. mensis Ianuarij anno salutis 1654.







Hiſtoria.



N felix annus huius Seculi quiquageſimus ſextus Italiæ nobiliſsimis vrbibus fuit. Flabant frequentes auſtri, & præceſſerat hyems valde ſicca, Ideo

ꝑ ardores siccitatis febres ardẽtes magis conspicuæ; carbones, bubones, & nigra exanthemata: Sub fine veris & ingruente æstate inclyta Neapolis, mox Roma caput Orbis infausto syderum aspectu afflictæ: Paulo post oras Liguriæ ĩfestãte malo Ianua præclara Ciuitas & ditionis Dominutrix perplures menses lento incubatu morbum

fo-

fouet, donec per æstatem sequentis anni immanes cœperit excludere pestilentiæ atque mortalitatis fœtus; qui incredibili pernicitate debacchantes, populosissimam vrbem parùm est quin funditus euerterint. Cadunt adhuc indistinctè, & fato cedunt præcipiti, Ætates, Sexus, Ordines, nec in ordinatissima ciuitate vllus ordo, quem non

metus & animorum cõ-
sternatio peruertant.
Morbus & ipse absque
ordine progreditur, nec
vlla mortis præludia no-
scit, aut cutaneo aliquo
stìgmate (vt moris est)
bubonis, aut anthracis
pro inani morientium
leuamine inuritur. Sed
quosuis dolosè perimit,
præcurrente ipsammet
pestem, repentino, ac pe-
stilenti excidio.
At Romæ virorum maior
pars

pars moriebatur ; minùs corripiebantur fœminæ, ac pueri : ex temperamentis calidiores, ac biliosiores, et ex ætatibus iuniores, robustioresque, nec senibus securius effugium cum præ imbecillitate & ipsi deficerẽt. His omnibus vehemens dolor capitis, genarum, & oculorum rubores, sitis inexhausta ab ipso morbi principio, linguæ siccitas loquelam impe-

diens in præcordijs calor mordax, bubones & anthraces quandoque supra iecur, quandoque infra: horum maior pars ingentem plethoriam demonstrabat, nec ideò maior ad euacuationes resistentia: alijs magis cacochymis minùs intēsa febris, vomitus frequens bilis pallidæ immixta aliquali pituita, cardialgia, faciei horrendus pallor, oculi con-

caui, sudor circa frontem frigidus, & granis milij similis, quandoque diarrhœa, inappetentia, nausea, bubones, anthraces, & hi simul saepiùs concurrentes. Alijs insensibilis febris statim cum bubone, nox inquieta, & turbatio multa circa viscera tã naturalia, quã vitalia: Actiones his parùm deprauatæ vsque ad principium sep-

tima. Alijs adhuc lenta febris & leuissima accidentia absque bubonibus, carbunculus quãdoque parui momenti, sed ingruẽte quarta acerbior febris, & horrenda accidentia, magni bubones, & anthraces: plures cum acerbissimis doloribus, et delirio intra paucas horas cum conuulsione de medio tollebantur.

Cum huiusmodi horrenda acci-

accidentium syndrome ultra tercentum hominum millia Neapoli periere: Nec inter tot diras strages quicquam profuit ad medendum, sed ne quid ad perfectam morbi notitiam deficeret mortuorum aliqua dissecta cadauera, et in eis utriusque sexus, obseruata uiscera omninò infecta, et maculis nigris scatentia, Cor nimirum, Pulmo, hepar,

par, ventriculus ac intestina; cystis fellea plena bile nigra, viscida, ac valde crassa; ita ut vix ab eiusdem membrana posset detergi: et denique vasa cordis oppleta sanguine grũmoso ac nigro: hæc patrabat audax medicorum solertia, sed omnia in cassum. Donec ipsa pestis tanquam lassata perimere, cessaret progredi.

Ro-

Romæ diutius obseruata, etiam inter vigores hyemales, et hactenus, pietate, et prouidentia, (diuinis Alexipharmacis. Sũmi Alexãdri) frœnata potiùs, quam debellata non desinit gliscere. A copiosis tamen, et violẽtis pluuijs insignis semper mutatio in melius, sed protinùs reassurgens noua incrementa capescebat. Versamur nunc circa mediam aestatem

anni 1657. nec tot mensibus certum adhuc inuentum auxilium, quamuis infinita pro vano experimento fuerint vsurpata. In vniuersũ à sulphure, et puluere quodam alexipharmaco magis praesentaneum praesidium, de quibus in commentarijs diffusiùs fiet mentio.



COMMENTARIVS HISTORIAE DE PESTE.

Priuatis lectionibus, Practicæ Medicinæ Studiosis dictatus.



AGgredior de Peste ſcribere, ſed tuam prius opem, auxiliumque implorans. Sancte Deus, qui à tot ſeculis Peſtem nobilitaſti, & conſtituiſti

eam,

cam, virgam furoris tui, quæ te ab Auſtro venientem præcedat: Te inuoco furentis peſtis Moderator Alme, qui ſolus immittere, qui ſolus remittere peſtem vales, vt quam in vindictam vecordis generis humani permiſiſti, eandem in eiuſdem reſipiſcentis vindictam libertatis, & ſalutis commutes. Tu Supreme Medice, qui ſolus peſtem rectè curare noſti, da recta, da vtilia, ſcribere; da nullo (poſt tot glorioſa aliorum monumenta) bubone ambitionis intumeſcere; Nullo obtrectationis carbone exuri; nullis denique inuidiæ maculis (crudelioribus mentis humanæ peſtibus) liueſcere. Sed fideliter cuncta diſponere, tibi in honorem, afflictis in ſalutem, ſtudioſis in fructum.

Stylus mei operis varius, quan-

doque breuis, & succinctus nonnullis Scholæ terminis intersutus, quandoque diffusus, & familiaris pro agendorum natura, & commentariorum ratione, quibus miseranda historia his temporibus *Neapoli, Romæ, & Ianuæ* immaniter grassiantis febris, tãto lethalium accidentium satellitio stipatæ illustrabitur, redactis pro faciliori studiosorum captu, in ordinem tractatus commentarijs.

Definitio igitur pestis ex Nobiliorum Scriptorum cõsensu ista. *Est pestis febris acutissima, maligna, contagiosa, venenata macularum bubonum, & carbonum satellitio stipata, quæ plures inuadit, & plures de medio tollit.*

Consistit ergo in calore preter naturam motus celerrimi, malignitate, contagio, & veneno præ

dito,

dito, quæ eius eſt *primaria proprietas* ſeſe oſtendens in bubonibus, anthracibus, & maculis, & *ſecundaria* in eo, quod indiſtinctè inuadat multos, & occidat.

Aſſumit hæc febris ex omnibus alijs febribus quod peius eſt, & ſupra illud aliquid adhuc addit peioris conditionis. *A calore* in genere mutuatur celeritatem in agendo, & relinquit illud (quod valde proprium eſſe ſolet caloris) nimirum ſeſe vltrò exerere; nam ſæpiſſimè ſub ſpecie quietis, & febris valdè paruæ, & lentæ, latet doloſus anguis, & ferocior malignitas. *A febribus putridis* aſſumit vim putrefaciendi, ſeu illud, quod eſt putrefacere & aliquid aliud addit, quòd ſcilicet non quoſcunq; humores putrefaciat, ſed illos præſertim

qui

qui valdè proximi sunt substantiæ cordis, ita ut supra putredinem adiũgat corruptionem; vnde in sanguinis missione per huiusmodi febres (quod etiam in alijs valdè malignis à nobis obseruatum est, vt libro de febre puncticulari diximus) solet sanguis fluere ab omni labe immunis, rubicundus, & benè coloratus. *A febribus hecticis illud habet*, vt statim inuadat solidas cordis partes, & suprà hanc proprietatem aliam peiorem addat, nempè quòd mediante calore venenato earundem solidarum partium substantiam putrefaciendo diuidat, ac dissoluat, & tunc solent cessare anxietates, & agitationes in ægrotante, quia cessat ebullitio, & motus in humoribus; & per hãc quietem dolosam plerũq; latenter moritur æger cum

vul-

vulgarium admiratione. A febribus ephemeris sibi adsciscitur iacturam, ac dissipationem spirituum, quæ in hac febre est multò grauior, quàm in alia quacunque; vnde statim à principio morbi insignis imbecillitas absque aliqua causa manifesta. Tandem super omnes alias febres addit hæc rationem contagij, non cuiusuis, sed celerrimi, & summè perniciosi, quòd paulò post examinabimus, si prius pro cõclusione statuerimus *rationem formalẽ, & essentialem* huius febris consistere in calore his pessimis conditionibus modificato, actiuitatis velocissimę scilicet, malignitatis, veneni, ac contagij, cum expressa, & specifica antipathia ad cor. Sed de contagio statuendum, vt non illud, quod in qualibet alia febre putrida inuenitur uerè

dici

dici possit contagium : neque enim cõtagium esse potest quod mihi communicauerit duntaxat suum accidens, vt in manus calefactione, quæ ab alia calidiore manu fit, sed vera *contagij ratio* consistere debet in *fomitis communicatione* adeò perniciosi vt valeat corrumpere partes meæ substantiæ, non autem accidentaliter alterare, & talis verè vocabitur infectus, qui receperit talem fomitem, & sic febris pestilens hanc rationem habet specificam, vt non solùm per contactum sit contagiosa, sed absque tactu in distans iaculetur per auras fomitem suæ malitiæ, vapore quodam inuolutum, vt etiam valde distantes corripiat; quod forsan inclyta Ciuitas Genua infeliciter experta est, communicato in distās miasmate ab

oris

oris Neapolitanis, & Romanis intacto penitus Hetrusco littore, ita vt dici æquè possit febris hæc contagiosa per physicum, ac per mathematicum contactum.

Causa materialis primaria, vt ex dictis patet, est *substātia, cordis: secundaria, humores, in eius vētriculis existētes*, quod expressè indicant grumi sanguinis in dissectis cadaueribus obseruati, ventriculos cordis obruentes, & maculę nigræ in ipso corde, & alijs visceribus, non malitiam duntaxat, sed ingentem corruptelā præ se ferentes; vnde reliqua viscera ampliorē etiā huic febri præstāt materiā. *Differt ab alijs febribus* in modo excellētis putredinis, & in loco putredinis: Nā sicut continentes febres habent diuersum focum à continuis, hæc diuersum habet, & penitiorem

à continentibus, vndè colligitur, quod in quocunque apparatu humorum morboſo poſſit hæc horrenda bellua inſinuari, ſanguinis, pituitæ, melancholiæ, aut bilis; cuius diſpoſitio in hac infauſta hiſtoria apprimè obſeruata eſt, dum proportio humorum, qui inficiebantur, ideam ſequebatur tempeſtatis anni, & præteritæ temporis diſpoſitionis: Nam per ardores, & ſiccitates, vt eſt in Aphoriſmo, fiunt febres acutæ, quamuis hoc non ſemper certum, aut inuariabile. Hoc habet doloſa hæc febris proprij, vt gaudeat varietate, & in proportione. Viſa eſt nunc Romæ viros potius inuadere, quàm fœminas, aut pueros, propter dictam caloris, & ſiccitatis in tempore anni proportionem; ſed neque ætates iſtæ ab inſultu ferino immunes,

nes; indiſtinctè quaſcunque rapit, & per quæcunque temperamenta inſolenter debacchatur.

Sed huius febris fidos aſſeclas, de quibus, & in definitione, & in hiſtoria dictum, nunc recenſeo; bubones, anthraces, maculas, in quibus hoc primò adnoto, non quaſcunque febres cum bubone neceſſario eſse peſtilẽtes, ſed eas duntaxat, quæ habuerint dictam peſtis formalem rationem, affectum ſcilicet inſignem, & venenatum cordis: ſi hæc deficiat, nullæ febres cum bubonibus erunt peſtilentes: ſæpe enim obſeruati bubones, anthraces, aut maculæ per cutim diſperſæ, ab omni peſtilentia immunes: Vidimus paucis abhinc annis ad D. tum Zenonem cubantem vetulam immani correptam anthrace, qui totum pectus ad iugulum

uſque

vſque crudeliter exurebat, à quo breuiſſimo temporis ſpatio extin. cta eſt. Vidimus parotides, ac bubones cum ardentiſſimis febribus; maculas per totum purpureas, cum quibus nulla peſtis, ſed dubia potiùs malignitas. In carbonibus tamen hæreo, non vt peſtilentes appellem, ſed prauos, & exedẽtes, qui mordaci qualitate facile poſſint interimere: Maculæ rubræ fœliciter plerumque effloreſcunt, etſi nigræ vix vnquam impunè viſæ ſint; non tamen ab eis peſtis declaranda, quia in vno aut altero: ſolus humorum apparatus non ſufficit ut peſtem faciat: ſuperiori cauſa opus eſt, quæ concurrat, & iuncta inferiori, conſtitutionem efficiat peſtilentem. Sic. Hipp. 4. Aphor. dixit. *Febres ex bubone omnes malas prater diarias.* Ma-

las

las dixit non pestilentes: malas, quæ arguant malum interiùs notatu dignum: puta plenitudinem insignem, obstructionem, aut phlogosim, à quibus bubones praui quidem, non tamen pestiferi: quod Aetius capite de ephemera ex bubone accuratè tetigit dicens, in magna plenitudine bubonem posse cum febre simul erumpere, quæ non sit diaria, sed putrida, nullũ tamen præ se ferens pestilentiæ rudimentũ. Auicennas doctrinam Galeni luculentiùs explicat: hic nempè vult febres omnes ex bubonibus absque manifesta causa esse malas, & inflammationem internam significantes: Ille uerò intensam plenitudinem, aut obstructionem pertinacem, à quibus nulla pestilentia. Alter locus Hippocratis 6. Epid. uidetur huic manũ præ
bere,

bere; abſceſſus, ait, veluti
glandularum ſigna ſunt germi-
na habentium, ſed, & aliarum,
præſertim circà viſcera, ac hi
maligni ſunt; Ex quo quatuor
poſsunt eleganter deduci, quæ
ſub germinis nomine voluerit
Hippocratis abſtruſum Oracu-
1. lum; internam ſcilicet inflamma-
tionem, quam duntaxat indica-
uit Galenus, ſed nimis generi-
cè; ac ſi diceret externos bu-
bones alios internos, aut tu-
bercula ſignificare, à quibus
tanquam rami arborum à germi-
ne ſuo, ſic iſti externi, pullulent
ab internis; deinde plenitudi- 2
3 nem, mox obſtructionẽ, quas Æ-
tius, & Auicennas ſuprà Galenũ
indigitarunt: & tandem maligni- 4
tatem ingẽtem, ſi circà viſcera
principalia læſio aliqua inſignis
fuerit inuſta, ãthracis aut bubonis

externi præbens originem, nec quomodocunque, sed ita vt in affectu cordis venenato consistat. Talis erit interna origo pestilentis febris, & bubones hinc excrti erunt verè pestiferi, & contagiosi; alij, qui à simplici inflammatione, à plenitudine, aut obstructione, non ita. Isti pestilentes abscessus verè dicuntur signa affectarum partium germina habentium, cordis nimirum, à quo arteriarũ surculi; cerebri, à quo neruorum; hepatis tandem, à quo venæ, tanquam à caudicibus suis germinant, ac pullulant. Hinc est, quòd immanis ista bellua tot, tantisque, ac tam diuersis accidentibus genus humanum excarnificet, & cum videatur vniformis morbus, tam pluriformi mortis genere hominem tollat, vt vix vnus vt alter
moria.

moriatur. Hunc extinguunt bubones; illum carbones exurunt; tertium syncope subita rapit; alium extremorum gangrænæ in vltimam ducunt corruptionem; sudores inexhausti quosdam absumunt; non paucos fœda dysenteria; alios cholera ferox exanimat; alios horrendus voluulus; plures deliria portentosa ab hominum societate separarunt; alios somnus profundus altè sepeliuit; & memoriæ tandem totalis lapsus memorabilē quondā fecit pestem Peloponesiacam.
Sed à subiecti dispositione hæc diuersitas; quæ à principio formali nascitur, prodeat ex natura veneni necessè est, quam adeò excellentem, & supra omne veneni genus cōstitutam experimur, vt in se napelleas, arsenicales, viperinas, septicas, ac tabificas

bificas qualitates contineat, vndè aptissimè Gal⁹ serpentem vocauit, & belluam: quapropter etiamsi veneni sit proprium, vt radios in vnum cor præcipuè collimet, & pestis in eius visceris affectu venenato consistat, reliquæ tamen partes, & nobiles, & ignobiles non minùs afficiuntur, quia in vna peste singulorum pharmacorum deleteriæ facultates inhærent excellentiori modo, & epilepticos insultus, aut vlcera septica, quæ napellus solet gignere, pestis producit: quas phthises, suffocationes, & pulmonum corruptiones lepus marinus, easdem pestilentia prouocat: Quas demùm vrinæ suppressiones, & renum exulcerationes buprestes faciunt, eadem accidentia ad diruptionē vsq; in febribus pestilentibus sæpe ob-

seruata. Sic de vomitibus, anxietatibus, delirijs, soporibus, deliquijs, & singulis symptomatibus, quibus hodie Romanus Populus, & Neapolis inclyta, inenarrabili Numinis iudicio misere excruciari dicendum est. Quòd si veneni furor stomachũ, ventrem, aut hepar sæuiùs oppresserit, bubones, & carbones infrà iecur ad inguina prorumpent; Si cor, pulmones, aut thorax, ad axillas: Si tandem cerebrum, os, aut guttur, retrò aures pullulabunt, etiãsi plerumque partes nobiliores in superiori arce positæ, & magna spirituum manu pollentes moliantur quantum possint in inferna hostem trudere. Ex his concludendum cum Hippocrate: bubones pestis satellites, & reliquos abscessus qui hanc febrem sequuntur,

non prorumpere criticè, vt morbum tollant, nec præcedere febrem, quam per suppurationem augere possint, sed concomitari internam affectionem ab ipso primo insultu morbi (etsi post aliquot horas à febre plerumque appareant, sed intrà terminos cruditatis, & principij). Qui in augmento erumpunt non adeò videntur maligni, cùm à principio non valuerint mordacitate sua irritare naturam ad expulsionem; quod tamen ità debet considerari si aliqua concoctionis, aut uincentis naturæ signa apparuerint, sin minus, & potius putrefactionis, adhuc certior ruina à bubonibus in augmēto erumpentibus, qua exitum tardare potuit crassioris succi malignus lentor, qui in sublimiori contagio elucet cum maiori per-

nicie: Loquitur igitur Hippocrates de bubonibus, qui simul cum febre, aut in principio cruditatis apparent, quales sunt qui hodie Neapoli, & Romæ grassantur.

De maculis idem esto iudjcium, nec mirum erumpere cum aut sinè bubonibus: utroque modo efflorescunt ægrotantium damno: illas enim mutuatur febris pestilens à puncticulari, cui adnectit sublimiorem gradum putredinis, & contagij: Veneni uis, ea est, ut quoscunque succos facile inquinet, crassos, adustos, lentos, tenues, quos natura rejiciat tanquam hostes; illos, per bubones; adustos, per anthraces; lentos per contagium; tenues tandem per maculas, quas si non valeat foràs trudere, intùs recoquit, & per uiscera nobiliora lethaliter

disseminat, ut in dissectis cadaueribus nuper obseruatum est Neapoli, ut narratur in historia.

Restat nunc vt ultimam pestis proprietatem, quæ in ultima definitionis parte, breuiter enodemus, vt nimirum multos inuadat, & plures de medio tollat, quæ in progressu grassantis constitutionis nimis verum est: At statim. & incipiente, non requiritur vt multi simul corripiantur; Sufficit vnus aut alter, in quo vera ratio formalis pestis insit, quæ, vt dictum est, in modo fomitis statuitur; hic enim nihil aliud est, quàm vapor quidam indissolubilis, viscidus, tenaciter adhærens, summæ penetrationis, & contrarietatis ad singula temperamenta; quapropter hic morbus necessariò inter communes, & populares debet constitui, quia

in aere eius causa priùs constituitur. Istius igitur fomitis, & febris conditiones, sufficiunt, vt ex se sint communicabiles multis, nec est necesse, vt actu communicentur, quia dispositiones contrariæ, ac robustæ recipientium corporum, ac temperamentorum possunt obsistere ne ad actum secundum reducatur per multos, quod in actu primo verè, & realiter in vno, aut paucis consistebat, quamuis mitiori modo semper incipere soleat pestilentia; Nam morbi communes semper incipiunt à sparsis, & in sparsos finiuntur; Nimirùm causa omnis magna incipit à parua, & rursùm parua fit, cùm finitur.

Causam finalem in peste vix inuenias, quia in malis non aliam agnoscunt Metaphysici finalem causam, quã quæ procedat ab agentis

extrinſeca intentione, qui malis vtitur fine alicuius boni, vt medici ſæpenumero morbis morbos curamus, vt reſultet bonum ſanitatis. Sic Supremum Numen, agens, & Medicus ſupremus, eſt cauſa efficiens malorum pœnæ, quia illa diſponit, ac permittit, vt ab eis bonum exſurgat hominibus; & huiuſmodi mala Diuina appellarunt Antiqui, quando ab hac prima cauſa abſque ordine conſueto ſubordinatarum producuntur. Prima igitùr, & præcipua cauſa efficiens peſtilentiæ, ac mortalitatis ſit Deus ille Immortalis, & Omnipotens, qui vt cauſis ſecundis tanquàm inſtrumentis uti ſolet ad patranda mirabilia ſua opera, ſic abſque ulla ſecundarum cauſarum ſubordinatione poteſt immittere in orbem terrarum peſtes diuerſi gene-

generis in mulctam, & flagellum Mortalium.

Post hanc elicietur *secunda pestilentiæ ratio*, & causa pariter efficiens, sed naturalis, à syderum positu. *Tertia*, à Cometa, qui, dùm dissoluitur, prauo miasmate elementa conspurcat; *Quarta causa efficiens*, & ferme frequentior, & quæ per singulas alias causas discurrit, sunt elementa cum suis primis qualitatibus. *Quinta*, uapores sunt ab aquis stagnantibus, & palustribus, aut alijs quibuscunque à cadaueribus computrescentibus inquinatis. *Sexta* halitus pariter densiores ab antris, & specubus, aut terrarum hiatu per terræmotum facto, qui grassantem aerem obsistentem perniciosum reddunt. *Septima*, praua alimenta, ut frequens usus leguminum,

 & her-

& herbarum, aut fructuum facilis corruptionis, quibus indistincte in annonæ caritate uescitur misera plebs. Octaua denique, ueneficia, & uenena artificialia, quæ a male feriatis hominibus in genus humanum conijciuntur.

Sed has causas sigillatim illustremus, & exemplis ex grauissimorum Authorum scriptis exornemus. Pestis, quæ, permittente Deo, ope Dæmonum, & Angelorum obseruata est, irrefragabile testimonium habetur Secundo Regum cap. 24. ubi legitur immisisse Dominũ pestilentiam in Regnum Dauidis de mane usque ad tempus constitutum (trium dierum scilicet,) & mortui sunt ex populo septuaginta millia uirorum.

Secundum exemplum refert Cælius

Rodighinus lib. 2. lectionum antiquarum cap. 6. cœpisse, ait, Constantinopoli nouum, innominatumque pestilentiæ genus, quod apùd Pelusiotas Ægyptios inortum primò grassari, mox latius adortum est: Eius mali hæc ferè habebantur initia: Dæmonum terriculamenta, specie humanà miseris ingerebant sese, ut ab hominibus incuti sibi plagas opinarentur, erantque ea orientis mali ueluti proœmia, quibus auerruncandis nullis prorsus amuletis opus erat, uel, ut assolet, mysticis, sacrisque uerbis, sed uelut lymphati, ac arreptitij uocantes nec audiebant, etiamsi in arcto asseruarentur; per quietem obtingebant hæc, quandoque inhorrescebat febris, sed ita ut nec calor demutaretur; Nam nec inflam-

matio

matio, ut fit, persentiebatur, uerùm tussis infesta erat, nulla discriminis specie; tubercula se se ostentabant, sed non eodem tempore omnibus, nec eodem loco; quibusdam profundior obrepebat somnus; alijs dementia cum rerum omnium obliuione, vt in cibi neglectu conficerentur, ac furentes è lecto se se proriperent se daturi in præceps, aut sitis ardore flumina petituri; morbus tamen hic contagiosus non fuit. Hæc Rodiginus. Rara profectò exempla; Sed quibus instumentis immissa? Inenarrabili certe veneno. Apponebat Angelus venenum tantæ efficaciæ, ac lethalis velocitatis, vt morbus fieret acutissimus, & acutissime contagiosus, vt mors infallibilis vel nutu oculi succederet, nec vllo pacto natu-

ualis hęc pestis potuit dici, quan. doquidem tam breui trium dierum curriculo principium, progressum, & finem fecerit, neque huic naturalis pestis definitio conueniebat, quandoquidē, nec pustulæ, nec tubercula, aut bubones apparuerint: Segnius venenum Constantinopolim immittebant Dæmones, bubones producens, & alia symptomata enarrata, pestis naturalis ordinem subolentia; sed, quodà definitione magnopere dissidet, hoc est, non fuisse contagiosum morbum, tot symptomatibus horrendis stipatum.

Pestilentiæ ratio sic ab Astrorum peritis primò à Syderum positu elicitur, quippe si plenilunio, coituue Oeconomi Cardinis exortiui Planetæ, sint odioso aspectu aliquo parùm felices, sæuam inol-

iri

riri peſtilentiam: grauiorem autem multò, ſi occurrat octaui domicilij Oeconomus maligno Syderis alterius vultui: grauiſſimam denique alterutro Luminum laborante, ociſſimo peſtilentiæ præſagio, vt ſummam perniciem annis elapſis minata eſt toti Italiæ Eclipſis, quæ ſucceſſit anno 1654.

Nec ſolùm à Syderum poſitu deriuantur peſtes, ſed ab infauſto ſæpenumero cometa, qui nunquam impune viſus. Cùm diſſoluitur ingens machina, quę in cœlorum abyſſo nouiter producitur neceſſariò in ſubiectum aerem ſpargit ſuæ corruptionis inquinamenta, ſuæ combuſtionis cineres, qui ad inſtar atomorum in inferiora corpora ſeminantur; ac decidunt, vt praue inficiantur, nec abſque myſterio, aut

ſym

symbolo pestis Memphitica à cineris dispersi pugno exorta est, ut habetur Exodi cap. 9.

Ex his causis superioribus dependet elementalis, quæ suis primis qualitatibus nimiùm excedẽtibus se plerumque exerit, caliditatis, frigoris, humoris, ac siccitatis, in quas reijciunt Peripatetici qualcunque operationes, reiectis de proprietatibus occultis dubijs; ac inanibus rationibus. Potest cœlum aerem immutare frigidiorem, calidiorem, aut humidiorem reddere suorum corporum lumine, aut motu. Pari ratione ex diuerso harum qualitatum gradu salubritatem, aut insalubritatem illi imprimere, & ad talem gradum perducere, vt etiã eius substantia corrumpatur, cũ quo nõ possit consistere; ergò ex consequenti pestilens, & corrup-

tiua dispositio potest à cœlo, & Astrorum positu in elementa transire; & hoc non vnica duntaxat ratione, sed per singulas qualitates, vt non rarò obseruatæ sint pestes atrociter grassantes æstiuis temporibus; alias hybernis rigoribus; carbunculi in Cranone æstiui fiebant, & præcipuè flante austro. Hoc anno infelici Neapoli, & Romæ pariter æstiui, & flante Austro à præcedentibus hyeme, & vere siccissimis: In Cranone pluebat inustionibus aqua larga, à cuius violentia exacerbabatur morbus. Neapoli, & Romæ à largis, & copiosis pluuijs magnopere imminutus: excedẽtes humiditates plerumque ad putredines corpora dispo- nunt; siccitates, ad febres ardentes; frigora, ad pestiferas fluxiones, quales elapso Seculo primò

totam

totam Galliam, mox maiorem Europę partem inuaserunt; vnde concludendum elementa sic posse alterari, vt pestes suis qualitatibus immittant.

Quintã causam alij referunt in vapores ex aquis palustribus, & stagnantibus, in quibus computruerint cadauera, eleuatos, à quibus inficiatur aer: Cadauera intelliguntur non solùm humana, sed brutalia pariter, et si velimus inter illa recensere plantas putrescentes, non errabimus; sunt cadauera suo modo, & prauam ex se mittunt exhalationem, vt sæpè fit ex cannabe in aquis putrescente, de quo expressè in discursu de præcautione dicendũ erit quantum referat huiusmodi cannabis curam prohibere.

Brutorum cadauera multò magis possunt ex se putridos emittere spiri-

ſpiritus. Exemplum refert Paulus Iouius de Prægrandi cœte ad ripam maris reiecto, ex quo putreſcente tota Liguria fuerit infecta contagio. Similem hiſtoriam refert Plutarcus lib. de induſtria animalium de Balena ad ripam Prouinciæ Bunidis reiecta, à cuius putredine pariter peſtis incœpit graſsari pertinaciſſima. Sacræ pariter Litteræ huiuſmodi contagii exemplum referunt propter ranarum multitudinem, quæ Aegyptum inſigni afficiebāt moleſtia in aquas Nili coaceruatam, ex quarum putredine, & aquæ, & aer totus ambiens infectus, quapropter vix poſsum illis ſubſcribere, qui multitudinem canum occiſorum inter peſtis remedia connumerant; nam videtur potiùs ab illis poſse augeri, & foueri peſtilentis aeris

qua-

qualitatem: ridiculum enim uidetur putredinem putredine posse extirpari, ut trito epigrammate dicitur de duobus uenenis, apud Ausonium Epigramm.

Sunt, qui terrarum halitu densiore grassantem aerem emittendis corporum spiraminibus obsistentem, perniciosum fieri opinentur, & summa cum ratione. Et hæc sexta causa inter præcipuas, quas sæpe terræmotus profert, ut (Eusebio teste) anno primo regni Vespasiani ab ingenti terræmotu uniuersa Italia maxima peste fere extincta est, ut Romæ quotidie decem hominum morerentur millia: per tales namque terræmotus reserata quodammodo terræ penetralia, reclusaque uiscera diutiùs hianti, malignos, hac pestiferos halitus a speluncis ascendentes emit-

tunt:

tunt : & in hac causa hoc præcipuè obseruatur, quòd bruta, primùm peste inficiantur, & fermè iumentorum pestis antecedat, quià bruta animantia, cum prona incedant, facilius expirantes, halitus deleterios hauriunt; quod etiam in peste, quæ ab aeris prima corruptione originem habet licet obseruare, propter exquisitissimum quorundam animantium odoratum: scribit enim Homerus Apolline pestem Græcis immitente, mulos primum, & canes concidisse, propter odorandi præstantiam, quâ excellunt canes purum aerem exigentes, ac proinde huiusmodi tabidam cum faciliùs concipientes.

Praua alimenta fermè per omnes pestilentiæ causas solēt diuagari: & vix dabitur pestis, quam non

præ-

præcesserit fames, aut comes ip-
si fuerit; & propter annonæ cha
ritatem prauis plerumq; alimen-
tis vescuntur plebei præsertim,
ex quibus, vt plurimùm incipit pe
stilentiæ furor; vt expressè Ro-
mæ, & Neapoli hoc anno obser-
uatum est, paucos ex nobiliori-
bus, & Primatibus, penes, quos
dominandi stabat gubernaculum,
concidisse in peste violentissima;
quia à prauis alimentis potue-
runt semper ditiores abstinere,
quod non potest misera plebs.
Idem prauus Syderum aspectus,
qui potuit elementa inquinare,
& disponere ad pestem, potuit
pariter famem inducere, vitiatis
terræ alimentis; vndè facilis tran-
situs in substantiam aliti, quæ
omninò remaneat disposita ad
prauas, ac pestilentes ægritudi-
nes. Sic Hipocrates 2. epid.
refert

refert in Aeno, leg uminum esu continenter vtentes fæminæ, & viri, crurum impotentes fiebant, & ad finem vsque perstiterunt; verùm orobum comedentes, dolentes genua. Incepit ab hac causa epidemica constitutio, non quod omnes, qui in progressu morbi fuissent correpti, essent vsi leguminibus, sed sufficit, vt incipiente à malo victu morbo, in aerem infectio serperet, essetque ità epidemialis, & ægrotarent ob communem esum leguminum, qui nunquam legumina, gustassent: sæpè enim pestis grassatur in Vrbe, cuius causa prima non fuerit communis, sed peculiaris aliqua, vt vestis, aut lectus, aut cibus: nam progressu temporis, et redices altiores agente morbo, qui primùm à prauo victu paucorum incepit, in multos

tos extendatur.

Octaua causa nec contemnenda, ex veneficio, vt ex grauissimis historijs constat, Tito Liuio, Dione Nicœo, & alijs, cuius exempla nimium esset referre; sed audiamus Niceum, & Xiphilinum dicentes, in vita Commodi Imperatoris, Eo nimirum habenas Imperij moderante pestem in Vrbe grassatam, quæ vna die bina hominum millia interficeret, cum malefici homines mercede pellecti res venenis oblitas in alios conijcerent. Quod etiam nostris temporibus euenisse scribit Alphonsus Iboli 1630 anno Mediolani, cum ab ea Ciuitate incepisset pestis atrocissima, quæ totam Insubriam fere diripuerat, cuius origo nullam aliam habuit causam ex testimonio eiusdem Authoris.

Inter signa pestilentiæ diagnostica, primum occupant locum, & pathognomonicè pestem concomitantur bubones, carbones, & maculæ, adeo vt cum ipsa pestis essentia, si non confundi, tamen pari gradu progredi videantur; quapropter Medicinæ Proceres in ipsa pestis definitione bubones, & carbones adnumerarunt. Potest tamen aliquod oriri dubium, quoniam possunt aliquæ pestes dari absque bubonibus, vt nunc perhibetur immanis pestilētia, quæ Liguriam exurit, sed quia hoc valde rarum est, & non nisi in extrema [illegible]ris corruptione fit, absque aliqua causæ materialis præuia dispositione, non debet aliquam difficultatē ingerere. Solà pestes diuinæ, illæ nimirum primo loco causarum enarratæ, possunt habere istam differentiam.
& pe-

& pestes per quas aer ad extremũ corruptionis iam peruenerit, vt maxime verendum de peste ista Ianuensi, quæ licet primo insultu inceperit cum bubonibus, nunc tamen aucta ad extremum putredinis, subitaneo ictu maiorẽ hominum partem extinguit. Cæterum vbi humores in corporibus humanis prauè disponuntur, vix aliqua pestis inuenictur, per quam non erumpant bubones, & anthraces. Potest quidem dari per epidemicas constitutiones febris pestilens grauissimis stipata accidentibus, per quam nulli appareant aut bubones, aut carbones; & tunc vix denominabitur pestis, quæ videtur habere suum caracterem in huiusmodi cutanea eruptione.

Hoc igitur sic statuto alia symptomata, quæ solent, & pestem, &

pestilentem febrem comitari, veniunt explicanda secundùm seriem præsentis historiæ, in qua videtur triplici modo hanc pestilentiam homines inuasisse: Primò, secundum similitudinem, & symbolum temperamentorum: secundò, secundum prauam cacochymiam, & miscellam diuersorum succorum. Tertiò, secundùm ingentem malignitatem, superantem quemcunque gradum putredinis. Primus modus rationabiliter afferebat signa plenitudinis, quia tempestas antegressa sic corpora disposuerat, hyems nimirum valdè sicca, per quam mixtim flabant Austri, quod in se quandam habet repugnantiam, nec succedere solet absque insigni ordinis perturbatione: Ex hac dispositione necessariò oriebantur acutissimæ febres, sic mo-

nente

nente Hippocrate tert. aphorismorum. Neque statim aeris praesentes dispositiones, similes morbos pariunt, sed sensim, & paulatim corpora ita disponunt, vt sequenti anni tempestate in eos morbos incidant, praegressę tempestati similes, quod si ea pariter, quae sequitur, eiusdem qualitatis, & naturae fuerit, vt hoc anno experta est tota Italia, multò intensiùs accenduntur ardentissimae febres, iunctae illi malignitati, quam solent afferre humores adusti, & omnino versi praeter naturam.

Enumerat historia inter signa huius febris pestilentis vehementes capitis dolores, genarum, & oculorum rubores, sitim inexhaustam, linguae siccitatem, incēdium praecordiorum; nullum horum certè ex se, & pathognomonicè

demonſtrabit peſtem: nam frequentiſſimè in praxi per alias febres, & morbos populares huiuſmodi accidentia inueniuntur. Sed in præſenti hiſtoria horum accidentium ſyndrome & bubonum concomitantia, contagium excellens, & multorum excidium, faciunt, vt & ipſa ſigna ſint peſtifera. ſigillatim igitur ea explicemus.

Vehemens capitis dolor, & forſan fixus claui inſtar, in aliqua capitis parte, præſertim circa frontem, vehementiſſimam calidorum ſuccorum efferueſcentiam cum praua qualitate coniunctam ſignificabat, quod alibi adnotauimus, tractatu de febre puncticulari, & quotidiana praxis oſtẽdit nullum euidentius ſignum febris mali moris dari, quam talis dolor capitis fixus ſemper eodem modo perſeuerans, etiam

ex.

extra horas alicuius accessionis, quod in febribus communis putredinis non obseruatur. In his enim dolores capitis, & augentur, & minuũtur pro ratione incremẽti aut decremẽti paroxysmorũ; hic sẽper fixus remanet, quia fræno venenatæ qualitatis cogitur, nec facilè subit diuersas alterationes. Genarum, & oculorum rubores etiamsi per alias febres soleant apparere, per eas præsertim, per quas putrescunt humores circà vasa pulmonis: hic tamen similis obseruatio debet fieri, quæ in dolore capitis, vt nimirum continuo perseuerent; indicant enim venenatorum succorum vapores non solum agitari circa cor, & pulmones, sed in eorum propriam, & solidam substantiam se insinuare, & altius cerebri internam sedem petere, est enim

necesse; vt isti rubores oculorum & genarum sint permanentes, & fixi ad instar eorum, qui per pulmonum inflãmationes fiunt, quia eorum radix, quæ in venenata qualitate consistit, hecticè figitur in substantia cordis, & pulmonum, vt sic sensim in alia nobiliora viscera permeando se insinuet. Sitis inexhausta vel ab ipso morbi principio: hoc verè arguit pestilentem qualitatem: nam sitis ingens, quæ per febres ardentes communes pathognominicè solet fieri, introducitur gradatim motu alterationis, & tunc in principio febris omnia sunt leuiora, vt in statu fortiora: hic verò statim à principio apparere ista signa fortiora, acutissimam morbi velocitatem indicant, per quam tẽpora breuissimo etiam horarum spacio excurrant, quod vix po

ceſt ſeiungi ab ingenti malignitate ; nam acutiſſimi morbi extremos ſtatim habent labores. Linguæ ſiccitas loquelã impediens: & hoc ſignum ſecum afferrebat inuſtum ſtigma peſtilentiæ: potuiſſet malignitas inexhauſtam ſitim producere cum linguæ humiditate, & molllitie, quod ex Hippocrate alibi annotauimus, dicente quantam perniciem afferat ſitire ſimul, & non ſitire, quando nimirum cum linguæ humiditate iungitur inexhauſta ſitis, vel è contra cum linguæ ſumma exuſtione, nulla ſitis: hic tamen alia peior qualitas ſeſe exerebat in hoc ſigno, per quam deprauatus ſuccorum venenatorum motus ſignificabatur; impediri nimirum loquelam per linguæ ariditatem aliquid malignum ſuprà communem ordinem oſtendit,

nec impedimentum illud vulgare est, quale per qualecunq; oris sicci= tatem experimur fieri, vt confu. sè, & indistinctè ęgrotantes lo- quantur: sed diuersum impedi- mentum hoc anaude loquelam tollens, quod prouenit à vapore venenato in neruos, recurrentes præsertim, irruente. In precor- dijs calor mordax: hoc signum adeò celebratum, & tanti habi- tum apud Hippocratem, qui nil magis in febribus acutis obserua- re præcipit, quàm hyppochon- dria suspensa, aut retracta, nil ma- gis quàm præcordiorum phlogo- ses, obstructiones, tumores, & intemperamenta. Necesse est in illis partibus grauissimum excita- ri incendium, si natura pestilen- tem ac venenatum hostem intus incluserit: agitantur confusè suc- ci: ebulliunt spiritus; cõuelluntur in.

interna viſcera, & quod per fe-
bres lypirias quæ nondum peſti-
lentiæ gradum attigerunt, obſer-
uamus comburi interna, & exter-
na algere: in hac peſtilenti conſti-
tutione ſublimiori modo fieri ex-
perimur, quia venenum peſtilens
calorem præter naturam comita
tur. Hæc ſigna, quæ, vt ingen-
tem plethoram præ ſe ferebãt, ſic
indicare videbantur copioſas eua-
cuationes: ſed tantum abfuit vt
ab euacuationibus ſolatium ali-
quod ægrotãtibus eueniret, quin
potiùs ſine tolerantia plerumque
deficerent; quod euidentius ſi-
gnum erat extremę malignitatis,
non proficere ea, quæ cum ratio-
ne indicabantur: Fiebãt euacuatio
nes vel ſponte, vel ab arte: ſi ſpon-
te, erant bubones, anthraces, vel
maculæ, euacuationes nullo pacto
criticæ, vt ſuprà dictum eſt ſed

factæ violentia morbi , quæ po-
tiùs occidebant ab exitu , quam
ante eruptionem, quia intus di-
uagãtes ſucci deleterio motu tur-
gebant, & quia nondum fixi in ali
qua parte, adhuc ferebãtur inno-
xij ; ſed quando iam in adenoſas
partes detruduntur, quia fixi, ſen
ſim & paulatim per venas, & ar-
terias in cor recurrunt , & ene-
cant : Maculæ pariter, cum non
ſufficiant, & rationem ſubeant ſe-
mi-repentium, vix aliud poſſunt
ſignificare, quàm ingentem vene-
ni copiam intus hærentem, quæ
per ambitum corporis moliatur
efflorefcere, nullo ægrotantis le-
uamine. Si arte factæ, illud habẽt
maligni, & mortiferi, quod mode-
ratiſſimæ vix poſſint ferri, ab in-
genti alioquin plethora.
Præualens in corporibus cacochy-
mia, & miſſcela diuerſorũ ſuccorũ,
ſuam

suam differentiam pestilentiæ afferebat, quæ varijs, & diuersis accidentibus stipata, nihil commune habebat: primo differentia febris, nec multa, nec adeò ardens, aut acuta videbatur (si per acutiem cum Hippocrate intelligamus vehemens incendium, vt in illis febribus, quas ad manum mordaces vocabat) Apparebat febris satis mitis, sed eius naturæ, vt si diùtius persisteretur in tactu pulsus, paulò post acrior, & mordacior obseruaretur: Ista tamen differentia adeo exquisitè examinata, non facilè potest obseruari tempore pestilentiæ, quia propter præsentaneum periculum non diu detineri debent Medici in ægris visitandis, nec in longa pulsuum contrectatione, sed ex bona coniectura necessariò,

ita debebat sequi:nam accidentia copiam mordacium succorũ mix. tam multæ pituitę crudæ præferebant, ita vt propter istã,febris initior fieret ,& paulò post propter illos,valdè acris , & pungens, vt solet fieri per febres ardentes spurias , quas producit salsus humor , plerumque in senibus.

Accidentia igitur sigillatim examinemus : aderat uomitus frequens bilis pallidæ immixta aliquali pituitã cruda : hæc eadem est ratio febris minùs intensæ , & postmodum vomitus , cardialgiæ , nauseæ,& inappetentiæ, affectiones, quæ ad ventriculũ pertinent,&ad eius partem magis exquisiti sensus,stomachum nimirùm,quarũ causæ non solùm consistunt in illa portione pallidæ bilis : nam vix tam horrenda accidentia à bile pallida oriri possunt , sed gra-

uior

uior multò, & acerbior ſuccorum qualitas in ventriculum delapſorum huiuſmodi accidentia efficiebat; bilis nimirum porracea, æruginoſa, aut atra, quarum portio inter villos ventriculi adhærens, & nauſeas, & cardialgias excitabat, nec adeò certum eſt bilem illam pallidam, quæ videbatur excerni cum pituita cruda, eſſe vere bilem vitellinam, quod ex accidentium grauitate aliquis poſſet dicere, vt apud Hipocratem obſeruatu: quint. Epid. in illo ægrotante, qui euomebat *lentum, crudum, velùt ex ouo ſubpallidum*, quo loco pariter non eſt intelligenda bilis vitellina, ſed pituita cruda albumini ouorum ſimilis tincta leuiter aliqua portione bilis, cuius acrimonia, quæcunque illa foret potuiſſet à lentore crudæ pituitæ obtundi, unde colligitur

tur profundiorem esse horum ac-cidentium causam, quam illa ma-teria, quę per uomitum reiicieba-tur: Ea enim est veneni, & mali-gnitatis vis, & energia, vt in pau-cissima succorum quantitate, quæ facile possit in ventris latibulis ab-scondi, & facilius sub lento humo-re, grauissima, & horrenda pariat symptomata. Cardialgia eandem causam certè agnoscere debet, sed cum adiuncto, phlogosis sci-licet, aut inflāmationis phlegmo-nosæ, aut erisypelatosæ, quæ oc-cupans ventriculū, & stomachum partes sensus exquisitissimi prop-ter insignem neruorū a sexto præ-cipuè pari deriuantium, conte[illegible]tu-ram, & vomitum, & nauseam, & cardialgiam producat. Non tamen absolute est necesse ad cardialgiam, vt detur illius partis inflammatio: sùfficit vt hu-

humores acres, & maligni irruentes in ventriculum neruos eius vellicent, vt denique post frequentes, & reiteratos vomitus in singultum lethalem, & conuulsionem terminetur: Sed tanti momenti est affectio ista, Cardialgia, vt insigni sympathia cor afficiat, quod ratio nominis ipsa indicare videtur, & Veteres, sicuti hodie infima plebs, os ventriculi cor appellant, vnde cardialgia licet non sit propria cordis affectio, sed oris ventriculi, insignem tamen cum affectione illius partis habet affinitatem. Faciei horrendus pallor duo videbatur significare, vt in prima differentia saturati rubores genarum, & oculorum, qualitatem nempe latitantis praui succi, & insignem spirituum exolutionem, à qua plerumque

bre.

breui ſpatio ſubſequitur mors; ſic horrendi facciei pallores, mortis vera inſignia ſunt, præſertim ſi adſint comites duo indiſſolubili nexù adhęrentes, in Hippocratica facie delineati, *oculorum cauitas, & ſudoris guttę circà frontem, & naſum præcipuè, grana milij, & guttas aquę referentes*, ſed quid oculorum cauitas? ſufficit dicere malignitatem peſtis, ſed quia à nimia ſpirituum reſolutione quorum oculi præcipuè abundare, & turgere debent, vt bene ſit toti corpori, hæc concauitas, quà oculus quadam inanitione, & ſiccitate intus retrahitur, & ipſi nerui optici ſpiritibus exinaniti, & quaſi arefacti in ſe concidunt, coarctantur, ac retrahuntur, vnde totus oculus magis in orbitam abſconditur:

ditur. Sed quid sudor ille diaphoreticus? Eandem arguit causam, & facultatis languor efficit, vt non ampliùs vapores ab humoribus eleuari in sudores effluant, sed partes solidæ iam suo spiritu sit innati nexu destitutæ, rores proprios, vel ipsummet gluten in sudorem conuertant, quapropter guttulæ non adeò fluidæ, vt in alijs sudoribus, sed rotundiores, & magis circumscriptæ, quia tenacitate roris, & glutinis circumscribuntur, imitantes grana milij, circa frontem, & nasum, præsertim partes frigidas, à quibus citiùs exhalant, & dissipantur spiritus congeniti. Aliud symptoma non minùs horrendũ, quia magis fœdum, *diarrhœa* nimirum, in qua eadem exsurget consideratio, quæ suprà dicta est de

de bubonibus, vel ſupra iecur, vel infrà erumpentibus, ſic cardialgia, vomitus, faciei pallor, & reliqua, raptum, aut inclinationem ſuccorum in ſuperiores partes ſignificabant, ut nunc diarrhœa eorundem decubitum in inferiora. Non multum foret, ſi in hac ægrotorũ differētia cacochymica, ut in prima plethoricorum, adfuiſſent uentris ingentes ardores, & uehementiſſima præcordiorum incendia: iſta impedire uidetur, diarrhœea, quæ non permittit malignos ſuccos retineri, neque tamen à tali euacuatione, aliquod leuamen, quoniam peſtifera, & acritica, qualis deſcribitur à Galeno ea tempeſtate, per quam peſtis Aſiam depopulabatur, in qua maior pars cum alui fluxu moriebatur, & omnes ait Galenus, aluus ſuſtulit, quia plerumque
talis

talis diarrhoea ab irritatione, & malignitate oriebatur, & per eam expellebatur bilis ærugiinosa, porracea, uel atra, quæ omnes differentiæ natę sunt lethales fluxus facere, etiamsi nulla pestilens constitutio grassetur: Huius symptomatis prauam naturam, & iritationem ostendebant inappetentia, & nausea; non quia per alu. fluxus non sit ualde frequens inappetentia, sed si iungatur nauseæ molestissimæ, orgasmnum malignum imitatur, per quem humores nullo ordine susque decusque per corpus uolutentur; quod ulterius significabant bubones, & anthraces consequentes tanquam à turgentia in emunctoria depulsi, & sigillum proprium suæ pestiferæ malignitatis inurentes grassanti morbo.

Ter.

Tertius ordo ęgrotantium eorum, fuit in quibus venenum, & malignitas superarunt putredinem: hæc differentia dupliciter obseruata; aliorum, qui ad septimam usque dolosam quietem ostendebat; aliorum, qui ad quartæ ingressum duntaxat. Hæc differentia versari est necessè, secundùm celeritatem, aut tarditatem pestilentis succi: quibus insensibilis ferè febris, statim à principio, quæ cum bubone, erumperet, hi necessariò abundarunt humore melãcholico, à quo solent excitari febres in principijs valdè mites, sed paulò post ingentem perturbationem afferentes: nox istis erat inquieta, quia noctu magis mouetur, & agitatur melãcholicus succus: turbatio multa circa viscera tum naturalia, tum vitalia, potuit significare, & mẽtis,

& corporis insignem agitationẽ, sed circa vitalia viscera perturbatio, præter cordis morsus, qui quandoque in pestilente constitutione à vermibus solet oriri, circà pericardium genitis; vt nos in Cantabria anno seculi trigesimo obseruauimus: vel præter difficilem, & interruptam respirationẽ, palpitationes, & pulsuum extremas ataxias, significabat potiùs timorem horrendũ, & animi ingentem consternationem; quæ plerumque solet excitari à prauis halitibus succi melãcholici, & atri, & eò magis pestilente qualitate infecti: perturbatio circa viscera naturalia affluxum prauiichoris, & malignæ serositatis, qua plerumque abundat succus ater; ab hoc circà viscera naturalia metheorismi, ructus, nauseæ, & ventris turbationes: sed mirum

cum tanta agitatione, & præsentia pestilentis qualitatis, actiones his vsque ad principium septimæ fieri parum deprauatas. Non est credendum omnino immunes, & quales sanis hominibus fieri solent, & his fuisse factas; sed parum deprauatas, quia succus melancholicus, qui adhuc non putrescebat, & exitus bubonis statim à principio, partim obtundebant, partim coercebant veneni acutiem, & quia, vt sæpiùs suprà tetigimus, venenum pestilens sese insinuauit statim in solidas cordis partes, relicti sunt humores ac si essent intacti, & spiritus influentes, qui per ipsos diffluunt, parum etiam agitati, vnde non mirum, si actiones per aliquod tempus viderentur parùm deprauatæ, ad instar neutrorum corporum, donec incen-
dio

dio malignitatis, humoribus, & spiritibus sensim fuerit communicatum, quo tempore omnia in ruinam ibant, & fiebat hæc mutatio circa principium septimę, die, quà natura mouetur per morbos peracutos; & quamuis in his ægrotātibus prædominaretur succus crassus, & melancholicus, acuties, & pernicies veneni pestilentis, supplebat vicem tenuitatis succorum; tales enim plerumque requiruntur, vt morbi intra primum septenarium moueâtur. Confirmat hanc ueritatem exitus bubonum statim à principio absque multa accidentium caterua, aut insigni læsione actionum, quia natura irritata fuit ā venenō, non ab humorum putredine, & venenum potuit accelerare exitum, quem succus melancholicus de-

buisset in longum protrahere. Aliorum differentia circa succos magis acres, & celerioris motus versari videbatur, sed adhuc citcà magis dolosam malignitatis quietem; hic adhuc mitior febris; bubones nulli, accidentia leuissimà; carbones, si qui fuerint, parui pendendi, hæc quies ommimodam uidebatur promittere securitatem, sed ingruente quarta statim exerebat horrendum morem, & fraudulentam naturam, quartà cumulatim irruebant bubones, anthraces, dolores, deliria, conuulsiones, febris intensissima, & mors, quia substantia cordis non solùm lacessita, sed iam extremam corruptelam concipiente, diffundebatur pestilens aura, non solum in humores, aut spiritus, sed in temperamentum substantificum alio-

rum

rum nobiliorum uiſcerum ad inſtàr fulminis uiolentius agentis in obiecta reſiſtentia, & dura, quam in cedentia, & mollia: corrupto itaque uiſcerum nobiliorum ſubſtantifico temperamento nullus datur regreſſus uelut à priuatione ad habitum, & nulla ſupereſt ſpes ſalutis; neceſſario tunc affatim, & repente omnia mala concurrunt, vt ægrotantem obruant. Ex quibus præſtantiſſima elici poteſt doctrina, & medicum monimentum, ut ſcilicet nulla fides adhibeatur paruis febribus, & quieti fallæ, quæ tempore conſtitutionis peſtilentis, & Medicos, & ægrotantes fallit, paruæ febres quandoque malignæ, dicebat Hippocrates, propter rationes a nobijs hic allatas.

Series narrationis noſtræ hiſtoriæ poſtulat, vt cadauerum diſſectorũ

notas, & obseruationes examinemus. In his vtriusque sexus tria notatu digna obseruata sunt.

Primum *maculæ nigræ per interna viscera minutim disseminatæ*: existimarem hoc euenisse istis ægrotantibus, in quibus febris valdè mitis obseruabatur. Signum erant huiusmodi maculæ hominem extinguẽtes antequàm à natura expellerentur foràs, insignis imbecillitatis; sed qualis imbecillitas? totius certè temperamenti substantifici partium, quia, & cor primariò, iecur, pulmones, ventriculus, et intestina his maculis nigris, & liuidis scatebant, quas non potuit natura foràs expellere, victa, a pestilenti malignitate, & à copia, quæ duæ causæ insignes sunt vt vires tollant; illa essentialiter, hæc grauando.

Prætereà in hac macularum copiá notandum eſt obſeruatas forſan fuiſſe in cadaueribus cum bubonibus, & anthracibus extinctis: quod etiam in ægrotantibus poteſt obſeruari frequentiſſimè, vt ſimul bubones ad inguina, & adenoſas partes, & maculæ ad ambitum corporis ſimul prorumpant; hoc nimirum fit, quia natura veneni ea eſt, vt nulli parcat ſuccorum qualitati; craſſos inuadit, & natura irritata illos per bubones expellit; tenues accendit, & natura pariter oppreſſa per maculas diſſeminat; quòd ſi non poſſit propter rationem dictam, intùs remanent maculæ, & hominem citiùs extinguunt, vt euenerit proculdubiò his, quorum cadauera diſſecta ſunt, & taliter macculis ſcatentia inuenta.

Secundum, quod obseruatum est, fuit in cysti fellis, in qua *bilis vltra modum crassa, & uiscida* inuenta est, quæ difficilè posset à sua membrana detergi: similem fellis qualitatem nuper obseruauimus in Moniali, in cuius cysti inuentus est lapis tophaceus oui columbacei magnitudine, quod in hac Moniali potuit efficere diuturna febris, & calor innatus iecoris præcalidi, sensim, & paulatim operantis, potuit breui tempore in peste Neapolitana facere venenum, absumendo, & dissipando partes subtiliores fellis, quæ in maculas nigras, & liuidas versæ, per viscera, & cutem dissiminarentur, remanente crassiori parte, quasi adusta, & recocta: Non mirum est ex hac bile fieri maculas & anthraces pestilentes, quandoquidem in hac peste, & in mul-

stis alijs propter aeris pregressam ardentem dispositionem, & Planetarum infaustos aspectus fuisse bilem in sua cysti, aut ipsum fel principium, & focum veneni pestilentis, & in eo fixerit pestis suam primam sedem, quia vt venena pestifera æmulantur, & sequuntur naturam venenatorum pharmacorum in suis operationibus, vt quandoque Napelli, quandoque aconiti, quandoque viperæ, bufonis, & aliorum venenorum operationes sequatur, sic in hac potuit venenum viperinum omnino esse, de quo scimus in felle præcipuè consistere, à cuius cysti ad radices dentium excurrunt duo vasa producentia vesiculas, quæ in morsu lethifero disrumpuntur: Non aliter ab hominum peste infectorum felle erumpunt per corpus & maculæ pestilentes

ex ſimplici vapore, & carbones cum veſicis ad inſtàr combuſtionum plenis ichore prauo, & virulento, omninò ſimili veneno viperæ, quod in verſiculis dentium aſſeruatur. Craſſities igitur iſta fellis in cadaueribus obſeruata talis fuit propter ſerum ab ipſo ſeparatum, & in carbones detruſum, aut propter tenuiores partes in maculas exhalantes.

Tertium notatu dignum fuit cordis ventriculos, dixerim, & truncos venæ cauæ, & aortæ, *plenos grumoſo ſanguine, nigro*, fuiſſe inuentos; Huius obſeruationis plures cauſæ poſſunt aſſignari, & hic potuiſſet eruditiſſimus Haruæus principium vitæ in ſanguine ſtatuere, quandoquidem principium necis, quod in veneno peſtifero, & cordi infenſiſſimo ſtatuitur, primùm

ctum sanguinem occupauit, & vita, & spiritibus spoliauit: Si sanguis in corde tamquàm in instrumento, aut vase ignario facit sanguinem suo calore, & spiritu insito, corrupto instrumento, & igne veneni quasi concremato, non mirum est si sanguis in eo concrescat, & pariter conburatur; sed aliam causam secundùm doctrinã Galeni adducamus. Extinguit veneni vis spiritus cõgenitos cordis; occurrunt influentes vndiquè, vt opem ferant laboráti principi, extremas partes deserunt, & sanguinem ipsũ, qui ideò cogitur in grũmos; sed aura frigida ex interna veneni natura exhalans, sanguinẽ cogit, & lethaliter coagulat; Nã in omni veneno (exceptis forsã erodẽtibus) existit aliqua aura frigida, qua principijs vitæ contrariatur, etiã in adustissimis succis, si vene-

nati fuerint, ex cinere illo frigido, & lethali, necis principium insurgit. His videmur explicuisse essentiam, causas, & signa huius febris pestilentis, & eius symptomata sigillatim examinasse: nunc ad prognosim accedere ordo postulat.

SIGNA PROGNOSTICA pestilentis febris nullam penitus habent certitudinem, nec ipse crises quantumuis benè ordinatæ, & quæ in alijs febribus omnimodam securitatem promittunt in sola febre pestilenti, ait Galenus commentario secundæ aphorismorum decimo tertio, omnino sunt infidæ, & incertæ: quid mirum si acutorũ morborum, qui à simplici, & communi putredine ortum habent, omnino sunt incertæ prædictiones salutis, aut mortis, quid erit in febre venenata, & quæ non solum

ab excellenti putredine, sed à corruptione ipsa producitur. Si tamen aliqua signa prognostica debent elici, iterum erunt perlustranda præstantiora illa signa diagnostica, vt ex eorum conditione aliquid, saltem dubiose, rimari possimus, quia etsi per multi ab hoc pestilenti contagio possunt sanari, & euadere, plures tamen, & maior pars dolose extinguitur, & plerũque contrà Medicorum spem.

Inter signa igitur, ex quibus prognosis sumi debet præstantior videtur respiratio, quæ in omnibus alijs morbis reliqua signa anteit. In hac parte, si fuerit placida, & libera, potest aliquam spem promittere, quia cor, pulmones, & thorax siue ab excellente putredine, siue à veneno obruantur quantumuis latente, & occulto, non possunt molestiam non ostendere

per actiones proprias, respiratio-
nem præsertim, quæ a quacun-
que læsione signum demõstrabit.
E contrà si parua fuerit, & qualis
in hac febre solet inueniri, per
quam thorax multùm comprimi-
tur, & parùm eleuatur; hoc prop-
ter insignem imbecilitatem, & fa-
cultatum lapsum; illud proptèr ne-
cessitatem vrgentissimam expel-
lendi pestilentes fuligines.

Pari gradu ambulat alia actio cordis
pulsus nimirùm, qui summoperè
est considerandus (quantum ta-
men per prudentem cautionem
propriam permitti possit). In his
febribus triplex consideratio cir-
ca pulsum adhibeatur à Medico:
Prima si per totum morbi decur-
sum pulsus fuerit semper æqualis,
& bonus: Quis non eliciet faustam
prognosim? Non cordatus Medi-
cus, imò tunc cũ maxima cautela,

&

& præmeditatione prognosticandum, & examinandum diligenter alia accidentia, quorum vnum plus valet in lædendo, quàm multa bona in promittendo salutem. Nec ideò quis credat pulsum illũ æqualem, & bonum, moderatum, & ordinatum, esse omnino securũ; quia talis pulsus solet prouenire cum insigni contrarietate intẽperiei cordis: Vel enim venenum dissipauit spiritus insitos substantiæ cordis, & frigiditatem priuatiuam in eo impressit, & in humoribus vẽtriculorũ eiusdẽ inuenitur insignis caliditas putredinalis, vndè quod caliditas adaugebit vsus, frigiditas cordis reprimit, & sic necessariò pulsus moderati exurgunt, qui cõtinuo perseuerãt, donec extinguatur æger, & hæc solet esse pessima species febris pestilẽtis; vel quod etiam contrario modo solet fieri,

exu-

…usto scilicet corde, & humoribus propter spirituum dissipationem frige factis, quod supra tetigimus, agendo de obseruatione grūmosi sanguinis in cadaueribus dissectis inuēti. Secunda consideratio erit, si pulsus in principio morbi sit valde inæqualis, paruus, imbecillis, celerrimus, frequentissimus, & postmodum circa finem morbi fiat bonus, æqualis, & moderatus. Posset certè hæc mutatio in melius ingentem promittere spem salutis, sed neque hic fidendum; Nam illa quies, & moderatio pulsus solet esse ipsum mori; iam supra tetigimus causam huius mutationis, quæ ideò est pessima, quia quod prius erat in dispositione, iam statuitur in habitu, & inceperat febris cum ingenti agitatione, & prauis accidētibus propter venenum conturbās hu-

humores, sed mutante locum veneno videtur deserere succos, & corripere substantiam solidam.

Tertia consideratio est eorum, in quibus pulsus in principio, boni, & moderati apparent, deinde in pessimos commutantur. Ægrotantes, qui taliter moriuntur, plerumque cum multa anxietate, & doloribus pereunt: potuit quidem esse (vt in hac differentia plerumq; certum est) vt hic morbus inceperit à febre quadam communis putredinis, & quæ sensim, & paulatim propter grassantē pestilentē constitutionem in pestilentem mutetur, & hic Medicus debet summopere aduertere tangendo pulsum si persenserit post aliquam moram, acrimoniam pungentem pulpas digitorum, & respirationem, quæ prauum odorem referat; tunc maximè laborandum

erit

erit in euitando ne febris fiat pe-
ſtilens, & ſi aliquid certum in hoc
negotio proferri poteſt ; hoc
vnum erit. Et hæc circà prognoſim ex pulſibus.

Tertiùm, ex ſignis preſtantiſſimis eſt vrina, quæ pariter triplici modo venit conſideranda : vel enim obſeruatur valde tenuis et aquoſa, & ſatis copioſa ; quæ differentia in febribus cõmunibus ingentẽ cruditatẽ, & altas obſtructiones ſignificat ; in febre verò peſtilenti omnimodam iacturam facultatis concoctricis, aut rebellem veneni naturam, quæ reddit ſuccos omninò incoctiles, ità vt etiam abſque obſtructionibus talis plerumque appareat vrina, & tunc poteſt quidem infauſta prognoſis elici. Secunda conſideratio eſt vrinæ perturbatæ, èt rubræ, quæ ingentem ebullitionem ſuccorũ cũ multo in-

cen-

cendio significat; Et si per alias febres dolorem capitis portendit, in hac plerumque delirium, & facultatis animalis futuram iacturam, propter raptum veneni ad superna. Tertia consideratio tandem erit vrinæ bonæ, laudabilis, & concoctæ. Nonne ab hac prognosis desumetur faustissima, cùm victoria naturæ videatur ostendi? In febre pestilenti, minimè genuinum; neque ab hac vrina maior fiducia, quàm à pulsu bono. Significat enim naturam quidem circà venarum succos facere quantum possit, & vincere quidem partes coctiles; cæterùm, cùm venenum coquere non possit, necessariò cum vrinis bonis, & laudabilibus extinguitur æger. Quartum signum prognosticum desumi debet ex qualitate mutata,

caloris nimirũ per vniuerſum corpus ſeſe exerentis; nam quandoque calor apparet moderatus, quandoque acerrimus, quandoque etiam infra mediocritatem poſitus, vt potius frigiditas perſentiatur. Qui moderato præditi ſunt calore per febres peſtilentes, hoc plerumque certum eſt, bubones exituros: qui ardentiſſimo, carbones, & maculas: qui vero paucum, aut nullum calorem in extremis perſentiunt, plerumque citius moriuntur, & maculis intus ſcatebunt, quales obſeruatæ in cadaueribus; extinguuntur hi lypirio modo. De prognoſi ſalutis aut mortis per has caloris differentias, poſſumus aſſeuerare in minori periculo eſse poſitos, qui moderatum habent; quia cum per bubones debeant terminari, hæc ſemper eſt inter eruptiones peſti-

lentes minus mala, quia per bubonem apertum, presertim si infra iecur erumpat, & distantius à nobilioribus partibus, copia crassi, & virulenti succi educitur, Non sic per carbones, qui exustionem ingentem significant, & secum afferunt grauissima alia symptomata, vigilias, inappetententiam, agitationem, sitim, & linguæ summam ariditatem secundum naturam peccantis succi calidissimi, ita vt etiamsi æger non moriatur violentia veneni, & ipsius febris pestilentis, potest deficere violentia accidentium.

Tandem vltimum signum desumitur ex varijs, ac multis euacuationibus, quæ simul, & semel solēt ægrotantē lacessere. Quis non crederet certò liberari debere ægrotātem, cui euacuationes eueniunt prauorum, ac venenatorum succorum,

In

In his febribus nulla fides adhibēda, ex supradicta Galeni doctrina, quia si nullæ crises in hoc morbo sunt securæ, quomodo securitatem dabunt euacuationes non criticæ, sed symptomaticæ, & pestilentes? Attamē aliquādo hoc euenit, vt per euacuationes pleriq; sanentur, quod obseruabit Medicus in singulis ægrotantibus, vt possit aliqualem prognosim elicere, quæ omninò pendere debet in huiusmodi euacuationibus, ab unius cuiusque robore, & uiribus, & à tali differentia specifica grassantis luis pæstiferę. Et hæc de prognosticis febris pestilētis ī particulari.
Prognostica uerò, quæ constitutionem pestilentem portendunt, ex causis prædictis recenseri debent, praui aspectus syderum, Ecclypses, Cometæ, turbata ultrà modum elementa in aere rubo-

res intensi, ignes uagantes in aere potissimum Veris tempore, excessus qualitatum aeris, ueluti æstas torrida, nebulosa, absque uentis, tempestatum anni ordinis peruersio, terræmotus frequens, insectorum, locustarum præcipue iam pereuntium multitudo, fructuum horariorũ paucitas, auium fuga, animalium brutorum ægritudines, & tandem mortalium culpæ.

AD CVRATIONEM quod attinet, primò ea uidetur instituenda, quæ febri pestilenti correptis succurrat, & si indicationes sunt eliciendæ, primò debet considerari, quo modo procedat natura febris, uidelicet si putredo superet uenenum, uel è contrà, si ueneni malignitas sit maior, quàm putredo in humoribus concepta. Præterea

res admodum ardua, & difficilis venit pariter perpendenda, quæ nisi per multa experimenta potest addisci; natura nimirum specifica veneni illa tempestate grassantis: Nã quantumuis diuersis tẽporibus infinitæ fermè fuerint grassatæ pestes, illud pro certo statuendum est, nullam absolutè fuisse similem alteri, etiamsi omnes habuerint valde similem modum moriendi, & inuadendi cum suis assectis, bubonibus nimirum, carbonibus, maculis, & contagio, in quo vltimo, corpusculis nimirum lentis, & viscidis summe penetrationis, & tenacissimæ adhæsionis, insita est specifica differentia talis veneni quæ a diuersa, & inenarrabili combinatione causarum supradictarum, certo, & indicibili gradu producitur, non secus, ac infinitæ voces omninò diuersæ ex

22. litteris, tamquàm elementis, componi posſunt. Talis igitur ſpecifica differentia eſset apprimè cognoſcenda, vt elicita recta indicatione, præſentaneum poſset inueniri remedium, ſecus ſola coniectura procedendum, & adhuc cum tali infelicitate, vt ſæpè regulæ caconicæ artis medicinæ non ſint ſequendæ, ſed pro ratione experimenti; quod expreſsè in peſte Romæ graſsante hoc anno obſeruatur, in qua cura regularis parum, aut nihil prodeſt. Attamen ne videamur nauim conſcendere abſquè magnete, ſequamur indicationes quæ cum ratione elici posſunt; & ſuppoſito, quod febris putrida maior ſit, quàm malignitas veneni: primo humores putridi, & peccantes, qui vt plurimum ſtabulantur in primis vijs, educantur: ſecundo quod in venis

nis etiam putridum est, a quo reliquum massę sanguinariæ potest inquinari, et corrumpi, pariter euacuandum: alexiparmacis malignitas coercenda, quæ vsurpentur secundùm naturam temperamenti ægrotantis: ad ambitũ corporis, et à partibus nobilioribus ad ignobiles materia morbifica detrudenda: accidentia, prout indigere uidentur reprimenda, et si rationem causæ habuerint, etiam curanda: uires pręcipuè conseruandæ. In contrario febris progressu, per quam uenenum excellit, nullæ uidentur euacuationes tentandæ; et si aliqua potest iudicari securior, aut minùs periculosa, ea erit, quæ per sudores tentabitur: quam primùm uarijs alexipharmacis res peragenda, et quia, ut dictum est, expresse nescitur species ueneni, diuersa

sa alexipharmaca vnum post aliud per plures dies possunt vsurpari, vt sic possit inueniri casu, quod arte non potest: Vires in hac febris specie quam maximè conside-randæ. Sed vt huiusmodi indi-cationes adimpleantur, in febri scilicet magis putrida, non erit præter rationem, statim à principio morbi, dum adhuc vires satis con-stant, & obseruatur multa pleni-tudo, & ventris tensio, vomitiuo àliquo medicamento vti, à quo multa bilis æruginosa, porracea, vitellina, & cruditates multæ, in quibus facilè consistit sedes mali-gnitatis, & veneni, expelluntur cū summo ægrotantis leuamine, vt sępe obseruatum sit in peste ela-psa anni trigesimi huius seculi ma-gnopere profuisse, & liberatos mul-tos ægrotātes ab emetico medi-camento. Tūc feliciter vsurpabatur

pului's Algarotti vel in substantia, vel in infusione exhibitus in vino generoso, aut iure aliquo alterato, prout requirere videbatur natura ægrotantis. Huius pulueris supplebat vices crocus metallorum, aut vitrum antimonij, aut ipsius flores albi. Experientia docuit non esse timendam aliquam agitationem ipsius veneni pestiferi à violentia medicaminis, imò potiùs sublato illo fomite, quod iam in venas, & arterias irrepserat, fortiori euadente natura, per sudores expellebatur.

Lenientia hic non videntur habere locum, nisi quis vellet in vicem lenientis aliquo clysmate vti, vt primò abluantur intestina: lenientia enim non possunt causam pestiferam detrahere, sed potius eam exagitant, & irritant ad interna,

&

& ad fluxum alui plerumque, noxium, & lethale, & tandem non est tempus conterendum in hoc ordine communi medicamentorum in negotio adeò præcipiti. Multò minus locum habebunt alterantia medicamenta, eo fine exhibita, vt præparentur, & concoquantur humores, quorum maior pars est incoctilis, nec obedire scit naturæ, quia inquinata est malignitate pestifera; et si aliqua pars succorum possit aliquam concoctionem subire, in qua possit cessare putredo, hoc nihil interest, quia venenum supernatans plus potest, quam commixtum, & facilius cor impetit cum ægrotantis ineuitabili damno. Alterantia tantummodo debent vsurpari mixta alimentis habita tēperamenti, ætatis, & consuetudinis ratione; quod infra

diceemus, vbi de diæta. Purgantia electiua non vsurpentur, nisi forsan in primo insultu morbi, in quo videretur natura satis fortis, & præbens sui significationem versus aluum cum aliqua irritatione. Sed neque hoc est adeò satis tutum, quia tale subiectum plerumq; præsupponitur plethoricũ, & male solent succedere purgationes in magna venarum plethora, quia vasa nimium repleta difficile comprimuntur per suas fibras ad expulsionem succi, à medicamento attracti; quapropter requireretur priùs conueniens sanguinis missio, ante expurgationem, & ita expurgatio nõ posset iam celebrari in principio, & hoc tempore, in hac febre uelocissimi motus, iã satis protracto, resultaret ualde perniciosa, præter quod uires a medicamento, aut eius actione, maxim

labun-

labuntur, quod maximè pertimescendum in febre. Elimine tur igitur catarticum vel in principio, vel augmento, nisi in perfecta, & absoluta declinatione, quando iam æger conualescit, & bubo pestilens, aut anthrax sufficienter expurgati, ad fluxionem sedandam, quia tunc non est timendum de aliqua veneni agitatione, quod videtur superatum, & tunc medicamenta erunt ex leuioribus, fugiendo à scammoniatis: sufficient Rhabarb. Agaric. Senna; electuaria diacathol. aut Rosatũ Mesuę, cũ suis syrupis, rosarũ, de cichor. comp., de polypodio, Regio, & similibus, in quibus semper aliquid vim alexipharmacam habens immisceatur, veluti confectio Alchermes, hyacinthina, mithridatiũ, aut Iulepus gemmatus Magni Ducis. Sudorifica videtur magis cõsẽtanea

à quibus plerumque optimus successus: quocumq; morbi tempore exhibita: duplici ratione distinguũtur; vel enim sudorifica tãtum sũt, vel simul sudorifica, & alexipharmaca: in hac peste, quæ hoc anno grassatur crudeliter in Italia, præferuntur mera sudorifica, neq; ab alexipharmacis aliquod emolumentum magni momenti obseruatum: felici admodum successu Romæ nunc exhibentur statim in morbi principio Dr ij. sulphuris tenuissimè triti, cum Vn iiij. aceti fortissimi, à quo medicamento sudor copiosus promouetur, & semel aut bis exhibito hoc sudorifico sanantur ægri facta insigni expulsione materię morbificæ ad vniuersam cutim, & per aceti energiam vlterius impedita putredine, & refrigerato viscerum incẽdio: sed dubium oritur quomodo

in principio mo bi, pleno adhuc corpore, & primis viis multa cruditate scatentibus possint sudores prodesse; cui dubitationi sic poterit satisfieri: non in omni febre pestilenti, aut in quocumq; subiecto posse hoc remedium conuenire, quantumuis plerique ab hoc sanentur: nam illi, qui multis cruditatibus circà primas vias abundauerint, aut fuerint pituitosiori temperamento, ratio postulat vt prius aliquo vomitiuo, aut clysmate fortiori aluum abluant, & a crassis, ac uiscidis crud tatibus emundentur; deinde a sudorifico illo valdè congruè, quod in venis inuenietur, vitium, & venenum in massa sanguinaria immixtum, per sudores copiosos expelletur: in aliis verò temperamentis calidioribus statim à principio poterit cōferre, apparente silicet in sanguine in-

gerti ebullitione, quam putredo, & venenum agitauerint: addo, quod in peste huiusmodi grassante, quę magis oritur à seminarijs contagij, quam ab aeris primaria corruptione, optimè sudores conueniunt, quia semper, aut plerumque seminaria recipiuntur per cutim, & per poros intus subeunt, & summa penetratione, velocitateq cor petunt, & principes alias partes; & cum ista seminaria necessariò debent esse corpuscula quædam minutissima, & imperceptibilia, sed tamen viscida, glutinosa, & tenaciter adhærentia, ita vt propter tenuitatem velocissimè penetrent, & propter viscIditatem indissolubiliter adhæreant, indigēt remedio sudorifico, detergente, & quod habeat vim, & efficaciam dissipandi viscIditatem: nullum præstātius hactenus cognitum est

medi-

medicamentum à quo viſciditas
melius tolli poſſit, quam ſulphur:
exemplum ſit ſcammonium, cu-
ius nociua viſciditas præſtātiſſimè
eluitur fumo ſulphuris; vnde & in-
tus hauſtum ſulphur quæcumque
ſeminaria peſtifera, per vniuersū
corpus diſperſa, poterit deterge-
re, abradere, & diſſipare. Acetum
præterea ſua frigiditate feruorem
febris extinguere, & ſua tenuita-
te ſulphur ipſum quaſi vehiculo
ducere in penitiores partes; vt ſic
poſtmodū irritata natura poſſit p
ambitū corporis, & ſudores copio-
ſos à ſeminariis, ab halitibus, & à
ſuccis coinquinatis ſe expedire.
Hoc ſolum medicamentū propter
dictas rationes poterit ſatisfacere,
quod, vt experientia docet, nō fa-
ciunt alia ſpirituoſa medicamenta,
quāmuis vī hab[illegible] penetrādi, [illegible]
potius [illegible]

à quibuscūq; chymicis spiritib⁹, mer-
giterijs, aut salib⁹, faciliùs pereūt
homines, quin & ab ipsismet sali-
bus theriacalibus, quidquid dixe-
rit Aetius morborū omnū medi-
cos esse sales, & Galenus tot præ-
conijs sales theriacales decanta-
uerit. Huiusmodi medicamēta cū
sint tenuissimæ substantiæ, & alio-
quin careant vi illa viscidítatē de-
struendi, quæ sola in sulphure mi-
rabiliter excellit, tantum abest vt
quicquam efficiant, quin potius ip-
sum venenum, & seminaria pesti-
lentiæ in penitissimam cordis sub-
stantiam insinuent, vt ita facilius
interimant; & si contingat vt su-
dores moueant, erunt potiùs inu-
tiles, fusis scilicet succis inculpa-
bilibus, & intùs relicto pestilenti
hoste; & cùm illi sudores euacu-
ent materiā:n, quæ non deberet
euacuari, necessariò vires fran-
gen-

gendo citiùs vitam tollunt. Sudorifica alexipharmaca si exhiberentur mixta sulphure possent quidem conferre melius, quàm si sola: sola tamen minùs nocebunt, quàm prædicta spagyrica. Satiùs fuerit post exhibitum sulphur, vt dictum est,& post copiosum ab eo sudorem elicitū, vti solis alexipharmacis, non quidem sudorificis, sed corroborantibus,& hoc non indistinctè, sed diuersum alexipharma cū pro diuerso ægrotorū temperamento,& pro diuerso anni tempore: hyeme enim,& temperamēto frigidiori theriaca valebit, mithridatium, diascordium, ātidotus Matthioli, & reliquæ calidiores: æstiuo verò tempore frigidiores cōfectiones,& ex simplicibus margaritæ, bolus armena, cornu cerui philosophicè præparatum, theriaca smaragdina, iulepus gēmatus,

cōſ.flor.citri, roſarū, borrag., bugl., & ſimiles: lapis bezoar, & lapis Malacēſis sūt miræ efficaciæ, & ſi in quantitate exhibeantur, ſunt ſudorifica medicamenta, & plerumque in febribus malignis, & peſtilentibus sūmoperè conferunt: nūc pro hoc tēpore vt cōferre poſſint, & non noceant, poſſent vſurpari in pauca quantitate, & potius in præſeruatione, quam in curatione, ita ut ad quinque grana optimi lapidis orientalis poſſint exhiberi ſingulis diebus cum aliquo uehiculo conuenienti, ſed hoc tempore ab hauſtu ſulphuris abſtinerē duce experientia: Lapis Malacenſis exhibetur in infuſione, poſſet prius leuiter infundi in aceto, quod debet uſurpari cum ſulphure, ſed hoc in temperamentis pituitoſioribus; pro quibus pariter magis proprium eſt ſulphur, ut in

aliis affectionibus pectoris quotidie obseruamus. His remediis recte poterunt adiungi aliquot externa mediocriter uaporantia, ita ut ab eis cerebrum minimè alteretur: sufficiet cordis regioni applicare unguentum florum arantiorum, cum pulueribus diamargaritonis frigidi, & guttulis aceti rosati, aut superponere linteum madidum aceto rosato pro calidis temperamentis, aut aceto sambucino pro frigidis. Cæterum manus quotidie abluantur aceto rosato, in quo infusæ permanserint radices cyperi Hispanici, aut cum radicib. angelicæ, & pulueribus radic. contrahieruæ, drachenæ aut anthoræ.

De sanguinis missione pulchræ admodum, & ualde necessariæ considerationes ueniunt adducendæ. Prima est, an debeat in febre pestilenti

mitti sanguis. Secunda an possit venæ sectio pluries repeti. Tertia, ex qua parte debeat fieri: Quarta, an alia euacuatio substitui possit vicaria sanguinis missionis.

Prima consideratio sic poterit discuti; si considerentur regiones, anni tempora, ægrotantium temperamenta, vires, & qualitas febris, etenim Neapoli, & Romæ, vt in Hispania, & Gallia, quia regionis constitutio, alimentorum vigor, & consuetudo hoc remedii genus permittit, absque dubio reliquis concurrentibus, poterit mitti: non sic in Insubria, & Lombardia; quapropter doctissimus Diuersus Petrus Salius in febre pestilenti omnino eliminat sanguinis missionē: Sed hoc præceptū neq; in his regionibus, quantūuis parum assuetis, debet esse æternæ veritatis, & tale temperamentum valdè sanguineū poterit inueniri,

&

& correptum febre pestilenti, putrida ardẽtissima humorali quæ absolute requirat hoc præsidium, habita semper uirium conside ratione, quæ in febre pestilenti quacunque facilè labuntur. vt si absolute non tollatur remediũ, saltem moderetur. Natura febris hoc præertim indicabit, quia si fuerit humoralis, & statim à principio appareat bubo vel anthrax, quod est signum plenitudinis venarum, absque dubio remediũ permittet, & ferre poterit, quia vix potest credi, quod natura expellat per bubones, & anthraces, nisi in venis fuerit ingens putredo & humorũ multitudo. Si uerò febris fuerit hectica pestilẽs, quæ vt plurimum tertio die hominem iugulat, cum ista statim appareat cũ ingenti pulsuum imbecillitate, cũ lipothymijs, & ferme cum synco-
pe,

pe, quis unquã audax fuerit mittere sãbguinẽ? multò minùs in febre ephemera pestilenti, quæ intra diẽ naturalem dissipatis, consumptis omnino spiritibus, habent suũ terminum extinguẽdi homines, cum præsertim in isto uelocissimo mortis genere humores in uenis sint adeò æqualiter compositi, & parũ agitati, ut nullo pacto de hoc remedio sit cogitãdũ; quapropter in sola febre pestilẽti humorali, priùs quã appareãt bubones, hoc potest fieri, & non solum apparentibus signis ueræ plethoræ, sanguinis sæpe exuberantis, sed, & ex consilio Celsi & Auicennæ in uaria humorũ putredine: est .n. tunc multò securius sanguinẽ mittere in plethora ista cacochymica, quam medicamentũ purgans exhibere, propter rationes supra allatas: & plura tenent per moderatã sãguinis

missione euacuāt omnes humores, & remanentes præseruant ab ulteriori putredine,& in hac febre uelocissimi motus, uelocissimo opus est auxilio,nec hærēdum in dubio an medicamentum haustum poterit bene expurgare, nec ne; quod nullus medicorum adhuc perfecte, ac exacte nouerit, ut promittere possit Sed in hoc doloso morbo neq; adhuc hoc habet totalem securitatē, quia totum negotiū cōsistit in exacta, & recta cognitione dictarum differentiarum febris pestilētis; Nam multoties exire possunt bubones,& tamen febris non erit humoralis, quantumuis signa plethoræ sese ostēdāt;& ita Medicus antequàm sanguinem mittat, breui tēpore ,sed exquisitissime ꝑpēdat necesse est has causas:in rectâ succorū æqualitate,& tēperie, absq;aliqua excellēti putre.possūt

seminaria per aerē sparsa adeò malignè se insinuare in aliquē ita secūdū cor dispositum, ut statim febrē hecticam pestilentem faciant, & tunc natura à veneno in cordis substantia hærente agitata, & cōturbata, bonos & laudabiles succos commouet, & portionem aliquam ad emunctoria, & vniuersā cutem per bubones, & pustulas expellit, qui bubones non sunt pestilentes, etiāsi semper manu chirurgica vti pestilentes debeāt tractari; sed commouentur à natura irritata, in quo casu nullo pacto debet mitti sanguis, nisi cum certo vitæ discrimine: etiamsi paulò post febris putrida suboriatur, & tunc complicētur febres pestilentes, putrida, & hectica, quæ adhuc breuiori tempore hominem tollant.
Secunda consideratio pariter stabit circà ægrotātis temperamentum,
&

& vires; circà consuetudinem, regionem, et tempus anni. Verum est, quod in quacunque febri pestilenti, in qua permittatur venæ sectio semper euacuatio debet esse parcior, quia velocissimè vires labuntur, tantò maior consideratio adhibenda erit in repetendis, aut multiplicandis eiusmodi euacuationibus. Temperamentum igitur calidum, et humidum, constitutio corporis robusta, carnes solidæ, ætas iuuenilis, plethora sanguinea, consuetudo, lauta victus ratio anteacta, et aliquæ regiones in quibus aer non admodum tenuis est, et alimenta plerumque sunt boni succi, rectè poterunt permittere sanguinis missionem etiam repetitam pro ratione exigentiæ: de morbo magno tale auxilium exposcente non est ambigendum, in febre putri-

da

da, humorali, pestilente uires ex prædictis supponũtur: Ergo, si tales cõditiones simul concurrant, audacter poterit secari uena etiã bis, aut ter, præsertim in morbi principio, & aliquãdo bis in die, sed sẽper cum sũma præmeditatione; nã ex Auicenna, melior est multiplicatio numeri, quã multiplicatio quãtitatis. Tẽperamenta igitur, quę nõ sunt sanguinea, ægrotus qui habuerit carnes musculosas flaccidas, & molles, qui fuerit frigidi cordis, & timidus, qui habuerit aliquã suspicionẽ anteactæ uitę parũ honestæ, fuerit nẽpe lue uenerea infectus, si non fuerit assuetus, si in regione aeris subtilissimi, ut fere est tota Lombardia, si anni tempestas fuerit calidissima, aut frigidissima, etiamsi morbus magnus fuerit (ut ait Hippocrates) & uigens ętate homo, non impune se-

feret uenæsectionem; si Hippocrates hoc uult in communi aliquo morbo, multo magis locum habebit in febre pestilenti. Si hæc contraindicantia concurrant, non est quod de multiplicatione uenæ sectionis agatur, quin neque unica erit ferenda.

Tertia consideratio partem, ex qua fieri debeat uenæsectio, debet decernere. Sunt, qui in hac febre, erumpente bubone, quia cogitant esse sobolem plenitudinis, nec credunt posse bubonem erumpere absque multa sanguinis copia, statim primam uenæsectionem a uenis superioribus brachiorum fieri iubent, etiam si bubones per inguina erumpant. Quod si mulieri grauidæ hoc accidat, multo pertinacius uolunt tundere uenas superiores, ne abortus subsequatur, si ex uenis inferiorib⁹

fieret euacuatio. Alii deriuationē vi dētur expetere, & authoritati Hippocratis pariter adnixi, vno crure laborante alterum volunt scarificare, & sic videntur sibi melius satisfecisse indicationi à partibus nobilioribus succos venenatos longius detrahendo (quod in hac febre est semper magni momenti) Alii semper primam à brachio, secundam ab eodem pede faciunt. Alii tandem nullis in contrarium adductis rationibus subiacentes, statim ab eodem pede extrahunt sanguinem, adeò vt, si circa flexuram pedis, & malleolo s erupe rit pustula, vel anthrax venam in vltimo digito aperiant. Primi non videntur admittendi, ne contrarium motum motui naturæ tentare velle videamur, neque hic quicquam vrgere potest plenitudo, aut copia sanguinis; Nam
hæc

hæcæquè benè per venas pedis
potest minui cum consensus vena
rum sit semper vnus, et circulatio
vna: neque timor abortus futuri
in muliere grauida dissuadere de-
bet Medicum à recta methodo;
Nam per venæ sectionem saphe-
næ non semper est certum, quòd
sequi debeat abortus; et si sequa-
tur, et periclitetur infans, satiùs est
solum periclitari, quam simul cum
matre; quod absque dubio sequi
debet, et velocissime, si venenum,
quod natura detrudit toto moli-
mine in emũctoria, et partes igno
biles, rursùm per uenæ sectio-
nem superiores partes, uersùs cor
retrahatur: Neque finis est,
aut intentio prudentis, et Chri-
stiani medici abortum prouocare;
quod si succedat, succedet per
accidens præter intentionem;
Nam rectus finis operantis debet
esse

esse, vt, si possit, & matrem, & fœtum saluet; quod poterit fieri detracto, quantum longissime possit, ab ipsis veneno, si ambos saluare non possit, saltem alterum. Qui deriuationem extollunt pariter non admittendi: Nunquid enim materia iam fluxa ad unum crus, poterit in aliud transire? aut materiam uenenatam à partibus nobilioribus fluentem, quasi per diuersos ramos minorabunt? certè neutrum horum. Nam quæ iam fluxa in parte, non potest retrocedere; quod si retrocedat, necessario nobiliora viscera de nouo lethali labe inficiet. si materiæ diminutionem quærant, ansam nouam præbent turgenti ueneno, ut è fixis sedibus multipliciter cor impetat, & quod uenenum non poterat efficere contra cor ægrotantis dum intus uolutabatur,
tunc

tunc securè efficiet impetendo cor tanquàm à ualle: quapropter neque isti sunt admittendi, & analoga videtur quæstio illa, quam, ex Arabum doctrina, in pleuritide multi secuti sunt, cum Curtio, & Vesalio, dicentes semper secari debere primò venã lateris oppositi. Tertii videntur velle errorem curare. Sunt tamen magis ferendi, si hominem plethoricum, robustũ, & bene carnosum inuenerint. Sed vltimi veram, & sanam methodũ omnino sequuntur, quam Galenus docuit, & in se ipso peste correpto expertus est. Statim aperiatur vena pedis lateris inguinis bubone infecti; vt reuulsio à loco primario affecto, & deriuatio p partẽ vicinã, & particularis euacuatio quoquopacto fiat. Motus iste naturæ, quã tumùis symptomaticus, adiuuare debet, vt totũ virus, per illã partẽ

expellat, per quam incepit: nec sunt coinquinandæ aliæ partes, ne multiplicentur hostes ipsi cordi, sed vires summoperè obseruandæ in hoc morbo, ne per superfluam, & importunam venæ sectionem dissipentur. Si tamen aliquod remedium magnum in hoc infido morbo aliquam firmam certitudinem habet, hoc vnum est, & priscis temporibus Galeni, & Principum medicinę, & Recentioribus elapso sæculo, & præsenti obseruatum in pestilentibus febribus per Europam diuersis temporibus grassantibus.

Quarta consideratio, an scilicet alia euacuatio substitui possit vicaria sanguinis missionis, absolutè dirigi debet à viribus, & temperamento: Nam quantumuis febris sit ex earum natura, humoralis scilicet putrida, exposcens sanguinis missionem,

ſionem, ſi temperamentum non fuerit ſanguineum, ſed melancholicum, aut biliosum, aut pituitoſum, ſi vires, & ætas prouectior non admodum valeant, nullo pacto erit cogitandum de ſecanda vena, ſed aliquid aliud ſubſtituendum: Nullum præſtantius auxilium inuentũ eſt, ipſammet ſanguinis miſſionem in hoc caſu dignitate ſuperans, quàm apertio venarum hæmorrhoidalium, per affixas hirudines optimè purgatas: in temperamentis pituitoſis, & melancholicis admirandum auxilium: in ſanguineis non contemnendum, ſi ramis hæmorrhoidalibus externis, qui deriuantur à vena caua affigantur hirudines: biliosi pariter, quia igneo ardore febris aduſtos habent humores, ab hoc remedio ſummum reportant emolumentum: nam biliosis

ſuccis, qui facilè in caput feruntur, aut in os ventriculi, unde deliria, cardialgiæ, uomitus, & inappetentiæ inſurgunt, inſeruit pro fręno illum detrahendo ad inferna; quapropter hoc remediū, a quò pauci ſpiritus diſſipantur, & uires minùs franguntur ſummopere appetendum iudico, cùm per illud extrahantur ſucci aduſti, craſſi, & fæculenti, in quibus facillimè lues peſtilens accenditur, & à quibus tanquam à cloaca, & infecta palude eleuantur uapores peſtiferi.

De cucurbitulis ſcarificatis, uicariis quidē, ut dicitur, ſanguinis miſſionis, hoc unum conſiderandum, an quouis morbi tempore poſſint adhiberi: Nam præfatæ euacuationes principium duntaxat ad dimidium incrementi requirunt: cucurbitulæ infernis coxis affixæ, ſ

satis profunda fiat incisio, possunt etiam in principio applicari, præsertim si corpus non fuerit plethoricum, aut abundauerit multis succis putridis: copia enim sanguinis, & succorum corruptorum, omninò in hac febre requirunt uenæ sectionem ex doctrina Celsi, ut dictum, quæ corruptio non potest demi, aut considerabili modo minui per cucurbitulas, per quas solūmodo sanguis extrahitur per extremas carnes, & uenas capillares dispersus, à cuius euacuatione necessariò debent subsequi, & subintrare humores corrupti, qui in partibus hærentes, & quia infecti eas magis coinquinantes, illas lethales, & horrēdas scarificationes quas Morauia elapso sæculo infeliciter experta est, necessariò afferant: de quibus doctè, & eleganter scripsit Ioannes Sporischius.

In alijs subiectis, in pueris, in primo senio constitutis, & in ijs, qui insignem aliquam cutis constipationem perpessi sunt, conferre poterunt, surarum præsertim, & coxarum, quod illi opinantes, superius assignati, qui verebantur mulieri grauidæ sanguinem ex pede mittere, mordicùs amplectebantur, vt post sanguinis missionem è brachio, suræ scarificarentur vtero gerentibus, non considerantes maiorem dolorem, ac proinde maiorem spirituum dissipationem (ex quibus facilius posset abortus subsequi) oriri ab illa scarificatione, quam à venæ sectione.

Ex dictis igitur concludendum in omni febre pestilenti cum bubone pestifero, quia & ipsa necessario est humoralis, siue adsit, siue non adsit plenitudo, statim in princi-

pio

pio morbi præmiſſo aliquo clyſmate, debere tūdi venam ſaphenam, aut aliquam aliam extremi pedis, etiam in muliere grauida, nullis contradicētibus coindicationibus; Si verò febris peſtilens inceperit abſque bubone, ſi adſit plenitudo, ſemel, aut bis vena ſecari poterit brachii: ſi non adſit plenitudo, nec ſigna exuberantis ſanguinis, hirudines affigendæ, etiam mulieri grauidæ, & cucurbitulæ puerulis, ac delicatis mulieribus, vt dictum eſt, non admodum profunda, ſed mediocri inciſione coxis, & ſuris affigantur, ſiue erumperint bubones, aut anthraces, ſiue non: & his non erumpentibus, ſed apparentibus per vniuerſam cutem maculis, per vniuerſam cutem affigantur, & ſiccæ, & ſcarificatæ, incipiendo ſemper ab infernis partibus.

Quod si aut maculæ, bubones, aut anthraces incipientes errumpere, motum suum non perficiant, & tunc uersemur circà principiũ, & augmentũ morbi, audacter tundatur uena, ut multò meliùs sequatur expulsio, leuata natura à parte ponderis, & expeditis sic meliùs uenis, ut suis fibris utantur ad nobiliorem expulsionem, quod plenæ non poterant facere.

Sed quia hoc negocium est tanti momenti, erit operæ pretium scire modum cognoscendi huiusmodi imperfectas eruptiones, ut sciamus quando possimus mittere sanguinem ex uena, aut quando cucurbitulas affigere. Obseruet Medicus diligenter quomodo æger se habeat ab eruptione: si adhuc anxietates, inquietudines, & molestiæ ingentes ipsum torqueant, non est expulsio perfecta;

fecta ; insignem ponderis molem significant illæ anxietates: subleuetur tunc natura, ut mediocri extracto sanguine, expulsionem perficiat; sed in his non cunctandum, ne uiolentia anxietatum dissipentur uires non amplius sufficturæ euacuationi sanguinis.

Posset aliud præsidium chirurgicum uices supplere uenæ sectionis; uesicantia nimirum, quorum usus in febre pestilenti præstantissimus, etiamsi quandoq; non caruerit infortuniis: caueat Medicus ne illa apponat corporibus cachecticis, quia indubitanter gangrænæ subsequentur: neque uidetur importunum remedium in sola sanguinis abundantia: medio modo erunt tuta, ubi iam succi incipiunt corrumpi, neque præter rationem aliqui

applicare tunc audent inguinibus, quia semper per pestes, humores illas partes adenosas tentant, tanquam receptacula aliarum, sed in parte adeo laxa,& naturaliter imbecilli securiùs erit inurere fonticulum ferro candenti; aut inustiones facere, septica enim illa medicamẽta vesicantium, nata sunt partes corrumpere,& gangrænas excitare, partis laxitate,& succorum malignitate ansam præbentibus. Si verò iam bubo eruperit à principio morbi, non est cur brachijs,& cruribus, vt est in vsu communi, affigãtur vesicantia, sed vnũ duntaxàt satis magnum, quatuor, aut sex digitis infra bubonem, quod habebit locum, si post vnam sanguinis missionem à pede, vt dictum est, non sufficiant vires pro alia. Illa vesicantia, quæ vesicas excitant,& cerata, quibus factæ exulcera-

cerationes curari debent, sint sem. per immixta alexipharmacis, theriaca, mithridatio, theriaca napelli, oleo scorpionum Matthioli, pulueribus radicum anthoræ, vt sic dometur venenum, ne ab illa parte, ad quam attrahitur, recurrat in principem.

Reliquum est, vt aliquid in medium proferamus de accidentium correctione, quæ plerumq; habent rationem causæ, vigiliæ nimirum intensæ, delirium, somnolentia, cardialgia, agitatio irrequieta, conuulsiones, tremores, & cordis palpitationes: Hæc, & huiusmodi alia, solent perseuerare, etiamsi bubo eruperit, & satis expurgatus videatur. His igitur perseuerantibus post morbi principium, & post celebratas insignes euacuationes, vtique credendum est aliquod damnum iam essentialiter inustum esse

partibus, quapropter insurgit dubium, qua ratione debeat administrari curatio, perseuerantibus accidentibus partium superiorum, & fluente bubone pestifero per inguina. Negotium sanè arduuum, & difficile: Nam si uelimus per inferiora solū modò habere bubonis curam, ab alijs accidentibus pariter pestiferis potest extingui æger: neque credendum est per solas infernas euacuationes sedari posse symptomata firmiter superiis membris hęrentia. In hac igitur difficultate concludendum est post vnam, aut alteram (si uires permiserit) à pede uenæ sectionem, & post aliquam alui ablutionem aut forsan medicamentum aliquod purgans, aut emeticum; securè posse medicum uacare correctioni accidentium,. E.g. si delirium du-

per-

perseueret cum motibus conuulsi-uis, aut somnolentia; poterunt affi-gi summo dorso, scapulis, & bra-chijs cucurbitulæ cum scarifica-tione, appositis interim, dum fit operatio, infrà bubonem per to-tam internam coxam alijs siccis cũ multa flamma; & si non fuerit ha-ctenus affixum vesicans, affigatur satis acre. Hoc frœno poterit coer-ceri uenenatus uapor, qui posset symptoma fouere. Quod si ad-huc per cucurbitulas non sedetur delirium, affigantur hirudines cum cautela necessaria, venis nasi, vt sic particularis fiat euacuatio, & impediatur totalis cerebri in-flammatio inemendabilis. Ma-ior difficultas insurgit in alijs symptomatibus cordis; & oris ventriculi, quæ uidentur non indigere cucurbitulis dorso af-xis, quia cum dependeant

à ma-

à materia mordaci, & venenata, in ventriculum fluente, non videtur posse huiusmodi succum ritè euacuari per scarificatam dorsi cutim. Dubitatio versabitur circà modum euacuationis, & sunt, qui prudenter purgationem per medicamentum præscribant: Certè nullo meliori modo poterit tolli iactatio corporis, & cardialgia molestissima, quæ in pestilenti febre egrotãtes corripit, quam materiam ichorosam, porraceam, vitellinam, aut æruginosam, in quibus venenum hæret, per medicamentum statim exhibitum deturbare, quantumcumque fluat bubo apertus; nec multum timendum est, quod per medicamenti illius euacuationem diuerti aut cessare possit bubonis fluxus si hoc succedat post quàm iam diu incæperit expurgari, & ex alio capite si à perito chirurgo ità

attra.

attrahentibus curetur, vt nullum sit periculum retractionis. Præterea medicamentum non debebit esse ex violentiorũ familia, sed ex mediocribus, cui semper alexipharmacum proportionatum ægrotantis temperamento immisceatur. Talis expurgatio non est quod expectare debeat humorum concoctionem, & fieri debet statim, ac si turgeret materia. Non solum perseuerantibus acriter accidentibus, sed si etiam videbuntur quoquopactò cessasse, accidentia præsertim cordis, vt sunt lipothymiæ, palpitationes, & quandoque syncopes leues: tunc enim adhuc videtur magis opportuna occasio expurgandi, quia cessatio illa symptomatum significat naturam quoquopactò à corde reiecisse in arterias, & uenas uenenatum succum, ita ut in uenis existente non

erit tutum expectare, aut cōcoctionem, aut omnimodā expulsionem (quidquid dicat Petrus Salius diuersus, faciens maximam differentiam inter venenū, & humorē venenatum) nā concoctio succi venenati incoctilis non potest succedere; omnimoda expulsio non videtur fieri posse à natura iam impotente: Nam si sufficienter potens fuisset, vt expulit in arterias, expulisset extra corpus; quare in huiusmodi falsa quiete pariter expurgandum, neque perdendum tempus in syrupis præparantibus, aut multis alexipharmacis, quia quando non cogitabit Medicus, latentèr, & repente succedet mors. Quando igitur euacuatio, quæ per bubonem, aut anthracem fit, non est sufficiens pro vera cessatione accidentium, non solùm audacter, sed securē

rè, & necessariò debet Medicus illorum curationi uacare, quando potius præcesserint sufficientes euacuationes secundum rectitudinem partis affectæ, & accidentia videantur nimium perseuerare. Solùm morsus cordis, & puncturæ acerbissimę, quæ solent in febre pestilenti obseruari, & plerumq; proueniunt à uerme pernicioso, uel pericardio, uel ipsis uentriculis adhęrente, ut nos experti sumus in elapsa peste huius seculi; si cessauerint, non possunt, aut medicamento, aut sanguinis missione expurgari; multò minus si non cessauerint. Huiusmodi accidentia nullam aliam habẽt spem curationis, quàm in alexipharmaco specifico, & tempore mei experimẽti supra quæcũq. nobilissima alexipharmaca ualuit succus scabiosæ. Sed mirũ in uẽtriculis cordis, in pericardo

gene-

generari vermem. Opus est prouidæ naturæ, & conantis horrendum venenum pestiferum moderari; cum non possit expellere, materiam illam putridam, & venenatam curat viuificare, vt à viuente, vt viuens est, minus lædatur; quod vtiq; sequeretur nisi viuens illud fieret animal perniciosum morsu lædens, & dilacerans exta corporis nobilissima, ita vt pari pacto alexipharmacis pugnandum sit contra feram, ac contra seminaria pestifera, aut humorem venenatum.

Victus ratio tertio loco præscribenda, quæ vt antiquior, & nobilior pars Medicinæ, primo debuisset declarari, sed in febre pestilenti neque hæc pars habet securiores leges, quam chirurgia, aut pharmacia, neq; quicquam valent admiranda Hippocratis oracula, quæ de

de victu febricitantium adeo exa-
ctè dictauit. Victus humidus omnibus febricitantibus conuenit, sed non febre pestilenti correptis. In morbis acutissimis extreme tenui victu vtendum est, & dum morbus in vigore constiterit, sed in febre pestilenti in tenui victu ægri delinquunt. Ideo victus humidus conuenit febricitantibus, quia acrimonia caloris febrilis semper habet secum adiunctam siccitatem, quam sensim, & paulatim partibus viuentibus impertitur; sed calor febris pestilentis plerumque parum excitus non ita acriter se ostendit, vt siccitatem statim secum ducat, vt prius quam ipsam introducere possit, veneni malitia occidat. Materia præterea pestilentis febris humorosę, summam, & excellentem præsefert putredinem, quæ in excessiua humiditate consistere videtur,

detur, vnde victus in huiuſmodi febribus debet ad quandam ſiccitatem uergere. Pauciſſimis rebus elixis vtendum; non oleribus, aut fructibus aſſis; nō piſcibus, ſed potius cibis ſiccioribus, non ſolū pro natura ciborum, ſed pro condiendi modo. Eliminētur carnes nimiū craſſæ, vt bubula, leporina, anatina, anſerina, & ſimiles; præferantur auiculæ, tū ſylueſtres, tum domeſticæ, vt in harum electione ſētentiam audiamus præſtantiſſimi medici Hiſpani, dicentis, in febri peſtilenti, quæ proueniat ab aere infecto, ſatiùs eſſe uti domeſticis auibus, & quæ volatu non nimium ſe extollunt; & è contrà in peſte, quæ à contagio, & prauis vaporibus originem habet, ſecuriores eſſe montanas auiculas, & quę aere altiori, & puriori fruuntur. In his tamen ſemper ſunt eligendæ, quæ

facilis

facilis sunt concoctionis, & boni nutrimenti, quales sunt alaudæ, perdices, attagines, & similes. Sed quid? in tempore pestilentię adeò calamitoso, in quo maior pars ægotantium infima plebs est, erunt ne delicatissimi cibi inuiolabiliter vsurpandi? ridiculum certè. Hoc Principibus, & ditioribus dictum sit. Misera plebs utatur carne uitulina non nimium tenera: quòd si non possit, à Magistratu debet subministrari: pane pariter vtatur benè fermentato, & benè cocto. Vinum omnino eliminandum, nisi in extremo virium lapsu. Conueniunt omnibus quædam salsamenta, quæ vim habeant refrigerandi, & pariter aliquam vim diureticam, ex petroselino, fœniculo, aceto dissolutis cum mica panis: His condimentis intinganrur.
car-

carnes assæ, aut continuo inspergantur succo limonum, aut citri. Ordo cibandi non sit nimium austerus; sæpius in die exibeatur, quantitate mediocri, ne vires deficiant, sed ita vt nimium pauca quãtitas à venenata causa nõ superetur, & conuertatur in materiam veneni, & ne nimium multa obruat vires, & calidum innatum suffocet. Ab vno cibo ad alterum transeant septem horæ in robustioribus, in alijs minus, & interdum spirituoso aliquo restauranti refocillentur. Succus carnium volatilium, siue etiam quadrupedum assatarum expressus torculari, multi est nutrimenti, & facilis concoctionis; nec natura multum laborat in eo conficiendo. Pro potu, aqua carnis, in qua frustulum auri extinguatur sæpius, ita vt per multiplicem extinctionem, leuem acquirat adstrictionem

ctionem. Alia potionum genera, quæ ab aliis authoribus describũtur, quia valde composita, non ita videntur opportuna, ne sub specie alimenti medicina exibeatur languentibus, & ab extrema inappetentia vexatis. Non parum posset aliquibus conuenire tenuis lora, aut posca. Vltimo in ratione victus habeatur cura aeris, & conclaue ipsum curetur suffumigiis pro ratione tempestatis anni, aut irroretur pauimentum aceto, & aquis odoriferis refrigerantibus. In ęgrotante demùm aliæ partes hygiini non occurrunt inculcandæ præter animi pathemata: metus præsertim, & timor mortis, vt & tristitia rerum domesticarũ, quantum possint euitentur, & alantur spe ægrotantes, ut sint audaci, & alacri animo; nam plerumque hic morbus periculosos, & pauidos

coeit

corripit: quapropter non mirum est, si in dissectis illis cadaueribus Neapolitanis, inuenti fuerint grũmi sanguinis copiosi circà cor, effectus est timoris sanguinem cõgelare, & concurrente omni spiritu in pauidum cor, illud suffocare, remanente proximo sanguine coagulato, & grũmefacto, tanquam destituto spiritibus. De his passionibus animi paulò post in præseruatione dicemus, quia ex animi motibus pendere omnes humorum agitationes certum est.

Somnus pariter, et vigilia, si modũ excesserint, vt in omnibus alijs morbis malum portendunt, multò magis in febre pestilenti: somnus .n. in febre humorali, per quam in venis, & arterijs circa cor venefica qualitas residet, debet esse valdè paucus, ne per somnum in intima cordis magis retrahatur.

tur, & abſcondatur venenum: vt illud enim eſt proprium ſomni, motum huiuſmodi concitet ſpirituum, & ſanguinis, & vt ſanguinem torpidum reddat, quod maximè noxium eſt in febre putrida peſtilenti, pro cuius curatione requiritur, vt ad circumferentiam moueantur ſpiritus, & ſanguis motu ventiletur, ita vt niſi aliqua quies eſſet neceſſaria, & ſommi eſſent duæ qualitates maximè laudabiles, quibus, & vires recreantur, & refrigerium aliquod, & humectatio aduenit ſanguini. In hac febre nullo opus eſſet ſomno propter prædictas rationes: ſed quia à ſomno penitus non debemus abſtinere, ſi æger talis fuerit dignitatis, vt in conſtitutione adeo calamitoſa poſſit habere ſeruos aſſiſten tes, & Medicos, erit opus diligēter obſeruare quomodo ſe habeat in

somno. Nã si dum sõnus capitur difficilior insurgat respiratio si aliqua anxietas, & turbatio, quæ antea non erat, statim est excitandus, nec permittendum vt amplius dormiat, quia hic optimè conuenit locus Hippocratis, quando somnus laborem facit, malum. Est enim infallibile signum veneni irruentis in ventriculos cordis: at in febre pestilenti hectica, per quam nimirum venenum prius aggreditur substantiã cordis non est tantum periculum vt dormiat æger, quia non potest vlteriùs retrahi, imò per somnum recreatis quoquopacto viribus, vegetius redditur cor ad pugnam contra venenum. Ex his constare poterit quomodo Medicus se gerere debeat circà vigilias intensas, quæ erunt reprimendæ per eurcuationem causę eas producentis, vt in occasione phrenitidis

nitidis dictum est. Cæterum contrario modo stabilienda conclusio in febre pestilenti, humorali nimirum, minus somni, & plus vigiliarum, in pestilenti vero hectica minus vigiliarum, & plus somni opus esse.

Sed iam series dictorum postulat, vt ad curam particularem bubonis, & anthracis deueniamus, caracteristicos pestilentiæ asseclas.

Bubones in vniuersum vel sunt parui, vel magni: illi plerumque faciles, & parui momenti: hi nunquã contemnendi, quoniam magnitudo arguit causam internam, & germen in interiori aliquo viscere, de quo suprà diximus in explicatione loci Hippocratis. Præterea alia occurrit diuisio bubonum valdè necessaria, & quintupliciter accipio. Alij enim sunt pendentes à causa aliqua procatartica, nimirum

ab insolatione, labore, defatigatione, aut ab aliquo vlcusculo in pede, aut manu, vt frequentissimè obseruatur, absque aliqua malignitate, dum humor, qui concurrit ad vlcusculum, pro ratione somitis firmatur in adenibus. Alii dependent à causa interna, qui tamen sunt absque febre, ex sola abundantia humorum in parte mandante, quæ onerari solet, & nimium grauari, vel quia in se ipsa generat, & coaceruat copiosa excrementa, vel quia ab alijs partibus recipit, & impletur: Alij accedunt cum febre, scilicet ante febrem, & paulò post insurgit febris, quando incipit apparere suppuratio, quæ maior fit toto tempore suppurationis, secundum illud Hippocratis, dum pus conficitur, &c. Alii post febrem, apparente nempè bubone in fine status febris,

febris, aut in declinatione per modum crisis. Alii tandem sunt isti pestilentes, & venenati, quorum proprium est erumpere cum ipsa febre, & etiamsi non semper eodem instanti, & febris, & bubo appareant, semper tamen in principio febris pestilentis erumpit bubo (si talis naturæ, & epidemicæ constitutionis fuerit febris, quæ bubones afferat, nam aliæ bubones, aliæ anthraces, aliæ maculas, & huiusmodi exanthemata afferunt; aliæ nihil horum) vel sit principium cruditatis, vel sit principium insultus morbi: nam cum cruditas protrahi aliquandiu possit, toto eius decursu poterit exire bubo, & exire in principio, quoniam totus decursus cruditatis principium est & bubones, qui sic erump un

possunt esse boni tanquam causa, & pessimi tanquam signum; quia significant insignem partis mandātis imbecillitatem, impotentis regere materiam morbificam, & relinquentis eam labi tanquam proprio pondere in partes infernas. Diuersum aliquid significant bubones erumpentes in principio insultus morbi, ingentem nimirum malignitatem, & veneni horrendum acumen, à quo statim irritata natura non potuit amplius retinere, & præterea simul cum insigni malignitate ingentem copiam venenati succi, qui vix possit recipi in vna parte: Sic Crito 3. Epid. mortuus est secunda die cum dolore in pede, & nigris pustulis: sic Caluus Larissanus sexto epid. obijt quarta die cum dolore cruris: Dolor hic, vt proprium est stili Hippocratis, debet intelligi ac si esset abscessus,

etiam sensibiliter supra cutem erũpens; imò dolores istiusmodi solent esse perniciosiores, quia cum nihil per eos foras erumpat, maiorem impotentiam naturæ arguunt, & succorum malignitatem. Dictos igitur bubones pestilentes, qui cum febre in principio erumpunt, curare aggrediantur, quantumuis hoc negocium ad chirurgum proprie spectare videatur, tamen in negocio tanti momenti tenetur Medicus scire, & methodum exquisitam curandi huiusmodi tumores, & aliquid adhuc addere supra triuialium chirurgorum captum. Quatuor modis debent terminari bubones pestilentes, vt reliqui omnes alij tumores: sed vltra hos in bubone pestilenti quintum addere debet Medicus. Isti termini communes sunt resolutio, suppuratio, induratio, corruptio, & quin-

quintus terminus maioris momenti est retrocessus subitaneus, ita vt repente euanescat tumor. In curatione igitur pestilentis bubonis statim prima insurgit indicatio forâs attrahendi; secunda, prauas qualitates corrigendi; tertia, quod attractum est, euacuandi, vel sensibiliter, vel insensibiliter, quæ indicationes omninò sunt contrariæ indicationi repellendi, quæ ab hoc casu omninò est eliminanda, neque vllo pacto admittenda repellentia, quidquid aliqui erroris sui defensores afferant Ætium, & Galenum, quorum alter hallucinatus scripsit in bubone pestilenti locum habere in principio fluxionis repellentia, quæ, ne minora quidem, & impropria, vt rosaceum, absynthium, non habent locum; alter vero, Galenus

sci-

scilicet, præscribens spongiam posca madefactam in bubone, sed hic Medicinæ Coriphæus non potuit hoc dicere de pestilenti bubonem, sed potius paruo aliquo, & flocci pendendo absque aliqua malignitate. Existimo cum prudentioribus hæc loca Ætii, & Galeni iniuria interpætum, aut forsan Typographorum fuisse corrupta. Nam ex ipsiusmet Galeni, Hippocratis, & reliquorum Principum Medicinæ doctrina, duodecim, & amplius occasiones recensentur, in quibus omnino à repellentibus est abstinendum, primo in emunctoriis. 2. in fluxu venento. 3. in fluxu impetuoso. 4. in corpore pleno. 5. in maximo dolore. 6. in crisi. 7. in humore nimium in parte imbibito. 8. in partis imbecilitate insigni. 9. in suf-

picione recursus in partem principem. 10. in doloribus ischiadicis. 11. in pleuritide. 12. in internis aurium doloribus. Tandem 13. in capitis erysipelate. Ex his occasionibus, si non omnes, pleræque in bubone pestilenti concurrunt, erumpit in emunctorijs, est venenatus; est impetuosus, est cum dolore insigni; pars est imbecillis pro tanto onere, aut tam praua qualitate; semper adest suspicio palindromiæ, plerumque in pleno corpore. & plerumque materia rebellis infiltratur in parte: His igitur bene consideratis, quis tam audax erit repellentia adhibere? Attrahentibus idcircò [illegible]amur, & ante attractionem priùs laxetur pars oleo amygdalarum dulcium cùm lana succida, deinde applicetur emplastrum adæquatum, cuius descriptio varia esse solet apud Authores

præstantissimum erit accipere *cepe excauatum repletum theriaca, folijs rutæ contusis, & pulueribus rad. gentianæ: assetur sub cineribus calidis, deinde mundetur à combusto omni cortice, & cum axungia porcina non salita fiat emplastrum.* Potest, & aliter fieri, nimirum. ℞. *vnguenti dialthea, butyri, olei liliorum alborum ana vn. I. fermenti acris vn. I. S. Mithridatij dr. iij. M. fiat emplastrum.* Et hoc aliud efficacius. ℞. *gummi ammoniaci in aqua vitæ dissoluti, galbani, oppoponacis, vnguenti basilici, mithridatij, fermenti acris, ana. vnc. s. m. f. empl.* Huiusmodi emplastris vti debemus cum hac cautela, vt frequenter renouentur, ne vltra trium horarum spatium suprà bubonem remaneant, ne venenum quod attrahunt ad se, diu-

tius in parte retinendo iterum re-coquant, & partem reddendo im-becilllorem, aptiorem ad retroces-sum faciant. Interim cucurbitu-lis, vt multi solent facere, non erit præter rationem vti, præser-tim si bubo fuerit satis profundus, ex doctrina Auicennæ dicentis, *quod si apostema fuerit profun-dum, cucurbitulis cum multa flamma attrahere oportet*. Con-cludendum igitur, vt prius affiga-tur cucurbitula, deinde fiat statim inunctio laxatiua, tertiò empla-strum aliquod ex supradictis ap-plicetur, & sic procedendum erit, donec status tumoris aliquid mon-strauerit. Erit abstinendum sem-per à medicamentis causticis, & emplastris exurentibus, propter febrem intensam, ne magis au-geatur. Quod si his non cedat bubo, neque permittat se attrahi,

erum-

erumpendo pigrè, veſicanti erit opus vti, vt ſuprà dictum eſt, ſex digitis circiter infra bubonem, & hoc ſi dolores fuerint valde acuti, vti pendentes à cauſa tenuiori, & calidiori. In cauſa verò craſſiori, minori dolòre, & febre non admodum intenſa, affigatur in inferiori parte circumferentię bubonis, & ſupra bubonem emplaſtrum ſupra dictum, vt veſicans euacuet, quod emplaſtrum attraxerit.

Ad terminos tumoris peſtilentis quod attinet, conſiderare debet Medicus, poſtquam prædicta remedia vſurpauerit, an aliquod ſignum ſuppurationis appareat, necne, vt poſſit mutare emplaſtrum, & vti ſuppurantibus, quod etiam poterit facere, quando totum venenum iam in parte firmatum eſt. Sed vtrumque horam valdè rarum, & difficile, & vix-

vix totum venenum in vna parte per se imbecilli coaceruari potest, absque ingenti partis corruptela, & suppuratio rarissime fit in pestilenti morbo, quæ perfecta sit. Sed non emendicare debet Medicus ista signa, si exactè sciuerit causas cognoscere, ex quibus poterit optime rimari, an bubo possit suppurari nec ne, vt cum tempore possit proprijs, & adæquatis remediis vti. Considerabit igitur suppurationẽ esse motum inter putrefactionem, & concoctionem, quarum causæ efficientes necessariò debent esse calor naturalis, & calor p. n. Præterea consideret naturam, ex qua fieri debeat suppuratio: hoc certè nulla alia est quam sanguis, aut caro contusa; & sanguis non quicunque, sed crassus; & hic sufficit vt sit paucus; vel magis tenuis cum moderata crassitie; sed

hic

hic debet esse multus, vt tantum habeat de multitudine, quantum amittit de crassitie. His considerationibus addat robur, & temperamentum partis calidum, & humidum; ex quibus omnibus rationali coniectura poterit Medicus præuidere, an talis bubo possit subire suppurationem nec ne, absq; eo quod spectet apparentia signa tam difficilia in bubone pestilenti, vt sic tempestiuè possit vti suis suppurantibus, diuersis tamen pro varietate, & diuersitate causarum, à quibus talis modus suppurationis debet fieri: Emplastra igitur suppurantia erunt huiusmodi. ℞. *axungiæ porcinæ, butyri ana vn. ij. rad. altheæ coctarum, & per setaceum transmißarum vnc. i s. Terebinthinæ vnc. s. dictamni, & scordij contusorum ana vnc. i. croci parum, f. emplastr. Vel* ℞. *rad.*

al-

althea, rad. lilior. alb. ana vnc. viij. caricarum pinguium n. 10. coquantur, & cum farina tritici, farinæ, sem. lini, & fænugræci, axungiæ porcinæ, butyri ana vnc. ij. vitellis ouorum nu. ij. fermenti vn. iiij. theriacæ dr. ij. fiat cataplasma. Huiusmodi suppurantia in bubone pestilenti indigent pariter sua cautela, nec applicari debent nisi Medicus sit bene certus de suppuratione, quia aliter poros obstruendo venenum intùs recludunt, & malum adaugent: Sed facta suppuratione, quamuis imperfecta, vt semper accidit in bubone pestilenti, aperiatur bubo candenti ferro, & satis profunda inustione, vt venenum possit exhalare, ne ab eschara superficiali retineatur: apertus bubo curetur regulis chirurgicis mundificando, abstergendo, in-

car-

carnando, & cicatrizando, quod si caro aliqua excreuerit superflua, eam absumendo, ijs remedijs, quibus authores chirurgici pleni sunt.

Sed adhuc circa suppurationem, & tempus aperiendi bubonem venit adnotandum, an debeat aperiri semicrudus, quando aliqua leuis suppuratæ materiæ suspicio adest, an vero debeat expectari omnimoda, & integra suppuratio, in quo casu, & negocio magni momenti sic se gerere debet Medicus, vt aduertat diligenter quomodo se habeant accidentia, an per illud principium suppurationis incipiant cessare, anxietates nimirum, cardialgiæ, pulsus meliores fiant, & vrinæ. In hoc casu, & insigni leuamine apparente, motus naturæ adiuuandus, neque aperiendus tumor, nisi fuerit benè suppuratus appli.

applicando supradicta emplastra, sed cum ista cautela, vt non diu permaneant supra tumorem, sed multoties in die auferantur, vt interim detur locus euaporationi, & diffiationi veneni, & vt hoc melius succedat, detracto cataplasmate fiant inũctiones ex oleis amygdalino, vel chamæmelino, vel fotus ex decoctione chamæmeli, meliloti, sem. lini, & similium, quibus peractis reponatur cataplasma non supra linteum, vt solet fieri in aliis tumoribus, sed super stupam, aut linteum multis dissectionibus peruium, vt detur locus facilior euaporationi. Quod si ab incipiente suppuratione accidentia augeantur, statim aperiendus erit tumor ignito ferro, vt dictum est, & satis profundè, neq; expectanda integra suppuratio.

Quando bubo pestilens, vt sæpè fit, cor-

corrumpitur, & incipiunt apppa-
rere ſigna gangrænæ, liuor nimi-
rum, aut nigrities, quæ ſolet eue-
nire propter ſuffocationem, alte-
rationem, aut diſſipationem, à
quibus cauſis partis forma, quæ in
temperamento proprio conſiſtit,
plerumque corrumpitur, vt eius
materia pariter, quæ in humido, tūc
ad minimam coloris mutationem,
ſtatim vtendum remedio, ſcarifi-
cetur nimirū circūcirca totus bubo,
& applicetur vnguentum Ægyp-
tiacum cum theriaca, & oleo ſcor-
pionum Matthioli; hoc vnguen-
tum putrilaginem omnem tollit,
nec relinquit eſcharam, aut cru-
ſtam induratam, quæ venenum
intus retinere poſſit.

Tertius terminus bubonis recenſetur
induratio, quæ non fit ſicuti in tu-
moribus ſcirrhoſis à materia melā-
cholica, ſed propter partes ſubti-
liore

liores, vel sponte, propter medicamenta perperam applicata, dissipatas, remanentibus crassioribus induratis; emollientibus, & resoluentibus simul mixtis erit vtendũ: galbano, oppoponaco, bdelio, cum oleo liliorum alborum, additis caricis, & mucilagine fænugręci, vel hoc modo poterit parari empl. ℞. *ammon. in ol. lil. dissoluti dr. ij. farinę sem. lini, & fænu græci ana vnc. s. Cer. diachilonis vn. ij. Marg. præparatarum vn. i. axungię porcinæ non salitæ q. s.* Præstãtissimum remedium iudico, ad conterendam materiam illam induratam, *Spiritum salis armoniaci*, cuius guttulę applicentur superposito prædicto cataplasmate.

Quartus terminus in reliquis tumoribus semper meliòr, & expetendus, in venenato tamẽ bubone, interior suppurationi, quia raro tota radix

vene.

veneni per simplicē euaporationē p[...]t. extirpari, cū venefica qualitas potius resideat in crassioribus partibus, quæ tandē per suppurat. expellūtur, quod pluribꝰ in locis Hip. lib. Epid. tetigit expresse dicēs, per suppuratas parotides securiorem reddi ægrotantem à recidiua, quā per eas, quæ resoluuntur, qântūcūq; resolutio videatur nobilior terminus, quia per resolutionē sēper aliquid relinquitur, à quo possit iterū accēdi morbus, quod per suppurationē nō fit. Resoluit tamē tumor si natura incipit vincere, & si fortis bene insurgat ad opus, sūmopere adiuuāda, fermè ijsdē remed. Laudatur ēpl. quod fit *ex mucilag. sē. lini, & fænug. fol. braßicæ coctis in ol. lūb. et cū ol. sesam. et ceræ q. s. vel solo cer. diach. mag. Ioā. Vig.*
Vltimus tandem terminus, qui maximum negocium facessit, & ingentē
metum

metum incutit medentibus, est quando bubo repente euanescit, & disparet. Disparet propter contrarias causas à quibus erumpit: erumpit propter aptitudinem partis recipientis, propter robur mandantis, & propter naturam humoris motui obsequentis: ergo contrariæ causæ erunt mandantis imbecillitas, & eius insignis intemperies, recipientis ineptitudo, & tandem humoris nimia tenuitas, aut quantitas, & secundum harum causarum considerationem debet præscribi omnis bubonum curatio. Nec tunc sufficiunt attrahentia parti opposita. Nil prodest tunc cucurbitula, quia nimius cordis calor, & incendium plus potest ad intus attrahere, quam ad extra possit cucurbitula, aut remedia topica, & tunc plerumque cum delirio extinguitur æger, vt dicebat
Hip.

Hipp. quando absque aliqua manifesta euacuatione bubo de repente euanescit. Sed quid partem mandantem, alacriter incipientem expellere, tam subito fecerit imbecillem? Conatus, & irrita molimina; non secus acquis pugnam deberet instituere cum 4. Antagonistis; incipit pugnam, & duos superat; tertium, & quartum iam defatigatus non potest; facile ab ipsis vincitur: Sic natura oppressa ingentem molem conatur expellere; fortiter insurgit: expellit quod potest, non sine magna virium iactura, repatitur .n. summopere in agendo contrà venenatum hostem; lassata cogitur succumbere, ita vt, quæ iam expulerat, iterum in se recipiat. Sic multos vidimus pereuntes infantulos, euanescentibus affatim variolis: & hodie Veronæ vidimus Nobilem Muliere-

rem

rem ex familia Mannara, ab erysi-pelate forti morituram, sic Caluus Larissanus 3. Epid., quia tertio die euanuit ei dolor femoris, quarto extinctus est. Si in hoc pręcipiti casu nulla sequatur spontanea euacuatio, faciat eam artifex, quia à nimio affluxu, & aggrauatione vires imbecilles sũt, nõ essẽtialiter.
Aliquando euanescit bubo, propter ineptitudinem partis, quæ incapax est ad recipiendam tantam humoris molem. Quid faciãt attrahentia? quid cucurbitulæ? Sed videamus cur non. Dixerim; aut propter partis prauam dispositionem, constipationem scilicet pororum, quæ vel à medicamentis, vel ab aere ambiente frigido fieri solet (quare multi infantes cũ variolis, constipata cute ab aeris frigiditate, moriuntur) uel propter paruitatem partis, in qua non po-

potest recipi tanta copia, vndè partes vicinæ fortiores, & saniores conatum faciunt, vt venenatum succum longius à se expellant, forsan etiamsi in nobiliores partes: sic moriebantur Crito secũda die, & vxor Thimeni decimosexto. Hic non valent cucurbitulæ, non hirudines, non cataplasmata, quæ non possunt partem ampliare, nec poros, vt decet aperire; imò sæpè cucurbitulæ cutem magis densant detractis tẽuioribus partibus, & in hoc casu meliùs erit internas partes exonerare, ne tantam molẽ simul detrudant, & postea topicis præsidijs vti, & exitum humori parare scarificando, vel aperiendo bubonẽ, vel vesicantia adhibẽdo, & sic nõ amplius poterit retrocedere.
Tertia causa subita palindromiæ est humoris nimia tenuitas, et q̃ã si sola non sufficiat absq; partis mandãti-

imbecilitate, aut calore intentissi-
mo: & in hoc casu dixit Hipp. ma-
lum esse erysipelas ad interiora
verti, quia id non fit adeo perni-
ciose, nisi, quia læsio interna est
valde magna, quæ ad se trahit
etiam externam flammam; quod
de alijs quibuscunque tumori-
bus etiam intelligitur præcipuè de
pestilenti. Solet quandoque hu-
mor esse adeò tenuis, vt statim cur-
rat ad inguina, & statim ad instar
turgentis recurrat: & hoc existi-
mo voluisse Galenum in commen
tario historiæ Calui, dicentem dua-
bus de causis euanescere bubo-
nes, uel propter partis paruitatē,
& ineptitudinem, vel etiam si ca-
pax fuerit, quia malignum succum
ferre non potest, ea.n. est acrimo-
nia, & energia venenati succi, vt
etiam partes adenosas, natas obe-
dire, & succumbere, irritet, vt à
vi-

vicinis adiutæ, prauum succum audeant repercutere; & tunc isti succi, vt turgentes erunt tractandi, & statim euacuandi, ne in cor irruant, si natura ex se sponte non fecerit. Doctrina bubonum, & eorum medendi methodus plerumque poterit inseruire, & carbunculis, quandoquidem tanta affinitate cohærent, vt in pestilenti constitutione grassante, vix vnus absque altero incedat. Verum est, quod secundum differentiam temperamentorum quædam corpora, biliosa scilicet, & adusta, sunt magis apta, & disposita ad carbunculos, vt pituitosa, & sanguinea potiùs ad bubones. Attamen plerumque simul eueniunt propter diuersos succos in corpore peccantes. Carbunculus igitur vitium est, ait Galenus, quod ex humore crasso, feruenteque nascitur: crassum intel-

ligit per adustionem sic factum ?
Nam bilis, tenuis humor, si aduratur, fit carbunculi materia. Incipit plerumque à pustula, aliquādo verò, & sine hac, vt in peste, quæ Asiā tempore Galeni inuaserat, omnes carbones absque pustulis obseruabantur. Cæterum inter initia pruritum efficit in parte, vt non possit æger se abstinere à scalptu. Mox oritur pustula quodammodo cineris colorem referens, modo etiam nigrior, qua rupta vlcus cum crusta gignitur, quæ crusta vulgo vocatur radix carbunculi, & maior pars curationis versari solet circa eius extirpationem. Præterea circumsita caro in summam peruenit inflammationem colore magis, quam phlegmone nigricans, ac si quis duabus partibus coloris rubri vnam nigri admisceret: Et necessariò carbunculis

culis affecti acutiſſimè febricitant. His ſignis, ex doctrina Galeni lib. 14. meth. deſumptis, dignoſci poteſt verus carbo peſtilēs à carbone ſpurio, & communi, de quo forſan loquebatur Plinius dicens populis Galliȩ Narbonenſis carbunculos eſſe endemiè familiares. Nō poteſt eſſe peſtiferum, quod familiare, & endemium eſt. Benigni pariter oriri ſolent carbunculi per ingentes ardores ſiccitatis, vt ſæpè Veronæ obſeruauimus, tempeſtate tamen ſalubri, quāuis ipſis ægrotātibus maiori ex parte euenıſsēt lethales. Alios curauimus, Lanionem præſertim, quem horrendus carbunculus inuaſerat à contactu ſanguinis, ex oue, quodam morbo mortua (quem Inſubres vocant *Morbezo*) Sed huiuſmodi anthraces non videntur carere aliquo cōtagio, quod poſsūt quidem habere

abſque concurſu cauſæ ſuperio-ris, ita vt inter huiuſmodi carbuncu-los ſit contagium cum febre, nec ta-men peſtilenti: quapropter cùm hoc conſiſtat in gradu veneni in-troducti, cùm poſſint quouis tem-pore huiuſmodi anthraces erūpe-re, uel etiam peſtilenti graſſante conſtitutione, non ſtatim debent iudicari peſtilentes, niſi euenerint grauiſſimis accidentibus ſtipati, & quamuis habeant ſigna, ex Galeno deſcripta, non erunt appellandi peſtilentes, niſi cum febre peſti-lenti adſint anxietates, cardialgiæ, conuulſiones, deliria, vno verbo, aliquot, vel vnicum ſaltem, ex ſi-gnis febrem peſtilentem concomi-tantibus, & tunc verè dici poterũt anthraces potiùs, quam carbuncu-li; nam quamuis vnum, & idem ſonent voces ambæ, vſus tamen inualuit apud Authores non infi-

mi

mi nominis, vt per anthracem intelligant maligniorem, & pestilentem carbunculum, & quia tempore pestis, quæcunque, uel minima tubercula rubra, & aliquomodo dolentia, per cutem erumpentia, magnam malignitatis suspicionem incutiunt, ignoscendum videtur imperitis chirurgis, qui statim, vel leuitissimum tuberculum, quod ratione plenitudinis in iuuene plethorico eruperit, statim, vt anthracem dilacerant sectionibus, & frustulatim extirpant, vt etiam in bubonibus obseruatum est, imperite, & crudeliter eradicatas fuisse integras glandulas, quas Hippocrates tam delicate, & mitè tractandas esse scribit. Prætereà signa vniuersalia, quæ in bubone adnotata fuerunt, hic erunt repetenda. obseruandum scilicet an carbunculus ante febrem, vel cum febre erum-

pat considerada diligenter pars, in qua pullulat : adnotanda accidentia, quæ sequuntur, qualis nim. dolor, & qualis color, & tinctura, ex his omnibus colliger epoterit Medicus qualis fuerit carbunculus.

Quibus statutis curatio auspicanda erit, & illicò; nullas enim inducias præstat velocissimus hostis, & quãuis magnopere conueniat cum bubone, in hoc tamen ab eo differt, quod magis præsentanea cura indigeat . Ea tamen duplex debet statui , alia vniuersalis , particularis alia . Natura morbi, & eius ardentissima causa , postulant magnum remediũ , & summopere refrigerãs. Statim præcipit Galenus, vt ab incisa vena incipiatur curatio, detrahaturq; sanguis ad animi vsque deliquium, nisi aliquid aliud obstet, quib⁹ vltimis verbis videtur non intellexisse Galenus de carbun-

culo

culo pestilenti, in quo non proposuisset sanguinis missionem vsq; ad animi deliquium, quia interna affectio, per quam membris principibus insũt principia veneni corrũpentis, non possunt non obstare tã largæ sanguinis euacuationi vires certocertius defecturæ, in quo casu summopere amplectenda venit sententia Auerrois largas istas sanguinis euacuationes detestãtis, per quas calor naturalis absumitur, & disponitur viuẽs ad vltimã sui corruptionem. Non est igitur, quod Gal. in feb. pestil potuerit velle illã exuberãti euacuationẽ, & fluxionẽ omnnò sistere, & intensissime refrigerare. Esset hoc oprãdũ, nisi obstaret venenum, quod huic methodo opponitur. Debet tã. mitti sãguis sed in maiori quãtitate, quã in bubone, quãuis bubo à sãg. procedat.
De parte, ex qua mitti debet sanguis

eadem methodus seruari debet, qualis in bubone, vt scilicet semper ex eadem parte infrà carbunculū seruata rectitudine absque aliqua cura reuulsionis ad partem contrariam.

Cura particularis, quæ statim post sanguinis missionem debet sequi, consistit in carbunculi scarificatione, etiamsi emplastrum ex plantagine, summoperè laudatum, solum applicatum curauerit, & omnimodè dissipauerit multos carbūculos; quapropter prudenter volunt aliqui, vt prius applicetur emplastrum per aliquod temporis spacium, horæ vnius scilicet, quo tempore si accidentia, tum vniuersalia, tum particularia remitti videantur, relinquendum, & adhuc expectandum: si vero non remittant, statim scarificetur carbunculus, habita maxima consideratione partis

cir.

circumstantis valde inflammatæ, & dolore acerbissimo affectæ, ne vllo pacto tangatur ferro: Nam grauissimum sequeretur damnũ, & ineluctabilis inflammatio: statim incisiones inspergãtur tenuissimo, & impalpabili puluere lapidis bezoartici orientalis, si uerus, & legitimus possit haberi, sin minùs, occidentalis: inferioris fortunæ homines vtantur puluere radicis Angelicæ, aut puluere scordij. Cæterum circà apertum carbonem tres insurgunt indicationes adimplendæ 1. vt exiccetur, quod in eò putrefit: secunda, vt insignis ardor contemperetur: tertia vt malitia veneni corrigatur. poterit pro his adimplendis, satisfacere emplastrum de plantagine hoc modò præparatũ ℞. *farinæ lentium, micæ panis miscellanei, ana unc. s. scordij dr. 1. s. succi plant. unc. i.*

s. aq; scab., & maluar. ana vnc. s. m. f. empl. quod applicatum exsiccat putrilaginem, contemperat ardorem, & uenenum extinguit. Sed non erit minoris efficaciæ, quod sequitur emplastrum succorum, Francisci Valeriolæ. ℞. *succi consolidæ maioris, succi calendulæ scabiosæ ana vnc. i. theriacæ mag. scr. iiij. salis dr. i. vitel. ouor. n. ij. m. f. emp.* quod debet applicari scarificato carbunculo, madefactis in eo linteis, & sæpè permutatis. Et hoc securius, præsertim si carbunculi contingant in pectore, capite, aut dorso, quoniam succus plantaginis suspectus ratione retrocessus: notatur in vsu huius emplastri, vt frequentissimè mutetur, sepius quam in bubone propter naturam humoris venenati, & intẽperiem insignẽ, quia aliter contrarios effectus parit retinendo venenum, quapropter

ter adstringentia omninò vitentur, vt suprà dictum est de bubonibus. Cessante iam putredine, & exsiccata corruptela, auferatur eschara, in quo peragẽdo valet inũctio frequẽs ex axũgia porcina, vel empl. cõpositũ *ex farina hordei, & tritic. ana vnc. ij. decoct. malu. viol. & rad. altheæ q. s. sed folia, & radices cocta, & per setaceum transmissa pariter immisceantur, & cum axungia porcina vnc. ij. & duobus vitellis ouorum fit emplastr. efficac. & breuis. tẽpore extirpãs crustã, quod pariter sũmopere est anodin.* Ablata crusta mũdificetur vlcus, valẽt sũmopere *carb. ex ligno quercino, mixti melle* de his adnotat Plin. valere cõtra feb. pest. Valet etiã *sarcocolla cũ melle*; vel *terebinth., mel, & luteũ oui.* Fortiora mũdificantia nõ adimittãtur, ne partem irritent, & partes vicinæ

do-

ut lentes lædantur à veneno facilè communicabili.

Mundificato vlcere impleatur carne, quod poterit adipisci his pulueribus. ℞. *myrrhæ, sarcocollæ, foliorum oliuæ combustorum, thuris, scordij, ana dr. ij. ireos dr. s. m. fiat puluis*, inspergatur vlceri superposito *vnguento cerusæ*. Summoperè etiã ualebit *aq. balsamica* Quercetani, uel Fonsecæ imbutis puluillis summoperè carnem generare faciunt, & cicatricem inducunt, quæ adhuc meliùs sequetur applicato desuper *vnguento albo camphorato*, quia camphora summoperè valet in uenenata materia corrigenda.

Interim, dum ita peraguntur, uel in curatione bubonis, uel anthracis, siue aliis alexipharmacis corroborantibus partes principes, utatur *æger confectione hyacinthina, al-*

kermes

chermes, *electuario de gemmis antidoto Mattioli*, uno aut altero horum dissoluto *in aqua scorzonerae*, *& buglossi*, *cum syrupo de corticibus citri*: ungatur cor unguento *naphae*, *cum guttulis ol. scorp. Matth. & pulverib. diamargarit. frig.* vel unguento cordiali Guaineri: Ventriculus *opha panis apposita*, *ex vino malvatico*, *aq. rosarũ contemperato*, *& pulveribus aromatici rosati inspersis*. Iecur *unguento rosato Mesue cum pulveribus trium sandalor*, *& tantillo aceti rosati* superposito linteo, madefacto *in tinctura rosarum*, *extracta in aqua theriacali camphorata*; & in carbone iecoris, refrigerandi praecipua habeatur cura, & haec de curatione pestilentiae.

DE

PRAESERVATIONE

Pestis.



Voties diuini furoris vindictam clamant mortalium dilicta, cogitur longanimis Deus ensem stringere, & intet violentiores ictus, quos vibrat in mulctam scelerum PESTIS est, quam Profeta Regius supra famẽ, aut bellũ prudenter selegit, securus nescire supremũ numen misericordiæ obliuisci cum ira.

tur. Hinc pariter primum monitum politicum ad aueruncandam pestem ex Prouincijs, uel ciuitatibus bene ordinatis, quando audiunt uicinas comburi, & torqueri funeribus, & implacabili peste, est oratio, & preces ad Deum, quibus ira diuina placari possit. In huius primi præcepti elucidatione non immorabor, ne Ecclesiastem facere uelle uidear.

Secundum monitum præseruationis uniuersalis, erit, ut Magistratus Ciuitatum sint ualde solliciti de annona, ne quid deficiat alimentorum miserandæ plebi, à qua ut plurimũ sumit incrementũ horrenda pestis, cum plebi plerumq; deficiant cibi nõ solum delicati, & boni succi, sed sæpe sępius præcipuũ alimentũ, panis, ut in eius defectu, & leguminibus, & quocunq; farre praui succi

cogantur vti quod in Aeno aduenisse, annotat Hippocrates. Nec farre solũmodo, sed herbis, & radicibus omnis generis, & quandoque etiam rebus putridis, quæ in cibum vix possint subministrari. Huius præcepti summè necessarij erit pariter, vt praua alimenta, fructus nimirum horarij, carnes morticinæ, pisces olentes, & alia huiusmodi cibaria facilis putredinis, omninò prohibeantur.

Tertium monitum prudentis Magistratus erit, vt instante peste in vicino prohibeantur exterorum commercia, hocq; seuerissimis legibus, ne cui permittatur introitus in Ciuitatem, qui non fuerit probè cognitus.

Quartum monitum, vt pariter prohibeantur conuentus publici, nimiũ frequentes, conciones, choreæ, festiuitates, & exercitia iuuenum

nimiùm

nimium violenta, qualia sunt ludus paruæ pilæ, & armorum exercitia. Nec ideo omnimodum prohiberi debet exercitium, sed violentum duntaxat, à quo agitari, & excandescere possint humores in corpore.

Quintum monitum, vt quamprimùm fiant Nosocomia, & Valetudinaria, inquibus curentur ægrotantes & quibus præsideant Ciues ex familijs magis conspicuis, qui charitate, & diligentia munus suum adimpleant. Hi sint plures, vt Vicarium in laborem sibi possint succedere, & diuersis officijs occupari: Alter annonam, ex horreis publicis prouideat, & reliqua pro victu ægrotantium, & assistentium non permittat defficere; alter curam habeat suppellectilium pro infectorum vsu, cum nullus è domibus propriis debeat sua (iam su-

suspecta) in Nosocomium asportare: Adhibeant Medicos animosiores, ex iuuenibus, qui laboribus resistere possint, peritos tamen, qui audaci solertia miseris afflictis, omni metu deposito, opem ferant. Statuatur liber, in quo diligenter describantur singuli ægrotantes notato nomine, familia, parētibus, consanguineis, patria, statu, arte, ordine, uicinia, & regione Vrbis (tot indicijs indiget confusa in rebus arduis mortalium imbecillitas) qui liber simili respōdeat in Magistratu sanitatis posito, ut ex ambobus collatis elici possit suo tēpore obscurata ueritas: Paruulis Infantibus notula huiusmodi alligetur collo, ne errores postmodum contingant inemendabiles. Narrabo, quod nunc Ianua Ciuitas misere, ne dicā cum dedecore experitur, horrendum dictu! nec sine lachri-

mis aſpectandū. Tercenti inueniū-
tur infantes, bimi, aut trimi circiter,
uere infantes, qui fari nequeūt, aut
indicare parentes, familiamue, cō
muni ſublatam infortunio. Hi ex
omni ordine procul dubiò mixtim
confunduntur, nobiles, & ex infi-
ma plebe, parem mendicitatis ſor-
tem ſubituri. Abhac ſyrte caueant
Magiſtratus ſi placatam diuini nu-
minis iram exoptarint, & apud ho-
mines inhumanitatis, aut imperi-
tiæ notam cupiuerint euitare. Po-
lyandra pariter diſponantur cum
laccubus profundis ad ſepelienda
cadauera, quæ calce uiua copioſe
ſuperiniecta obruātur. Adſint Pol-
linctores ſoluti ære publico, quibus
præſideāt honeſti ciues probis mo
ribus præditi, ut in eos animaduer
tant, ne indigne, aut auare ſum-
mæ fidelitatis munus exerceant
Sextum monitum, ut canes, & feles
omni

omninò occidantur, non vt ex quorundam *Barbarorum* opinione ex eorum cadaueribus putrescentibus per plateas relictis corrigatur pestilentis aeris putrescentia, quod videtur satis improprium, ne dicam ridiculum, quãtũuis ab Authoribus fide dignis adnotetur, quos refert Quercetanus in Alexicaco; sed, vt impediatur prauæ qualitatis pestiferæ communicatio ab vno loco in alium, quandoquidem canes, feles, & huiusmodi animalia domestica in alienas domos se insinuant, & in proprias incautè pestilentiam transferunt: quapropter, & columbaria omninò sunt prohibenda, quia columbæ etiàm de longinquo possunt pestilentem qualitatem asportare.

Septimum monitum erit, vt legibus inuiolabilibus cautum sit, vt domus, plateæ, & vici omnes, ac

com.

compita Vrbis mundentur ab omnibus immunditiis, verreantur & irrorentur aqua frigida mixta aceto: & omninò prohibeatur, ne in aquis ſtagnantibus maceretur cannabis, ex quo pernitioſus uapor continuò eleuatur; ut ex bombice computreſcente post extractum netumque ſericum.

Octauum tandèm monitum, quod certè poſt immunditias Vrbis apponitur, erit, ut tollantur lupanaria, & domus luxuriæ, quia gallica diſpoſitione infectis facile euenit, ut peſtilens corruptio introducatur. Domus pariter gulæ claudatur, ne à nimiis in uictu erroribus diſponantur homines ad prauam corruptionem.

Denique ultimum monitum ſit, ut qualitas aeris mutata corrigatur ignibus, ſecundùm Hippocratis doctrinam, & admirandum experimentum.

rimentum. In quo præcepto, quod magis uidetur pertinere ad medicum, hoc dubij erit adnotandum, an quouis tempore, etiam calidissimo, debeant accendi, uidetur enim æstate media in maximis ardoribus Sirij non conuenire ignes publicos, quibus possit aer peiorem qualitatem concipere: cum enim inquinamentum pestis consistat in corpusculis uiscidis, lentis, tenacibus, penetrantissimis, quæ dùm se corporibus immiscent, tenacissime ipsis adhærent, itâ ut, nec aquis ablui, nec uentis satis difflari possint, consentaneum uidetur à caliditate ignis maiorem siccitatem, & tenacitatem concipere, ita ut potius uideantur nocere posse ignes temporibus calidis accensi, quam proficere. Sed hoc argumentum non concludit, quoniam huiusmodi corpuscula à

nullo agente poterunt vinci, quàm ab igne, cuius ſiccitate potius ab-ſumitur eorum lentor, & corruptiua diſpoſitio, & in regionibus, in quibus per æſtatem mediocri ſolis calore fruuntur homines, qui per ſe non ſit ſufficiens ad abſumendum huiuſmodi peſtis inquinamentum, ignis ſummopere valebit accenſus, quo iuuari ſolis refracta energia poſſit. Poſſent etiam negantes ignium medicam vim, quam tantopere Plinius prædicabat, ſic argumentari. Sed in caſu peſtis iam graſſantis. Non poſſe ſcilicet ignes breui temporis ſpacio accenſos in Polyandris, & Noſocomijs quicquam efficere, quia ignes breuiter extinguuntur, vapores autem à cadaueribus peſte emortuis eleuati, continuò perdurant: his reſpondendũ erit ab ignibus eleuari pariter vapores, qui

se parietibus imminentes, & ipsis fortiter adhærẽtes, quamuis ignes extinguantur, adhuc perdurare, & refrangere pestilentem è corporibus eleuatam qualitatem, saltem, si non omninò possint illam vincere, tamen faciunt ignes quidquid possunt, & quod ab alio remedio vix possit patrari. Possunt adhuc vrgere dicentes, pestem, vel ab aeris supremi corrupta qualitate, prouenire, vel ab inferiorum corporum contagio. Si à corruptione aeris non vidẽtur posse illam ignes vincere, cum sint contrarium improportionatum; Neque in contagio inferiori quicquam valere, vt dictum est. Quibus respondendum non aliter se habere aerem, quo viuimus, & quem inspiramus, quam cor ipsum, quod pestilenti qualitate contaminatum defendere satagimus alexipharmacis, tum inter
nis,

nis, cum externis. Sic aer, qui ſubire debet in fabricam ſpirituum vitalium, nullo meliori modo poterit alterari, quàm ignibus, ſed non quibuſcunque, ſed odoratis, ex arboribus, & lignis, quibus inſit aliqua vis alexipharmaca, & qualitas odorifera, quales erunt cupreſſus, iuniperus, roſmarinum, ſaluia, ſpica, ſtæchas, & ſimiles plantæ oliferę: & hoc in vera præcautione vtiliſſimum, etiam ſi nulla in Ciuitate graſſetur peſtis, aut ſuſpicio, ſed metus dumtaxat, ne ab aliis regionibus infectis communicari poſſint. In inferiori contagio, ex quocunq; ligno accenſi ſufficient, ſed in vtroque præſtantiſſimè conferre poterunt frequentes bombardarum exploſiones, ſingulis diebus mane, & ſero factæ: & ignes debebunt accendi circa veſperam, & circa me-

diam noctem, vt his pro horis matutinis inueniatur aer aliquantulum purus, & illis, vt diurnus, si aliquid praui conceperit, expurgari possit: & hoc sufficiet, nec videtur necessarium meridianis horis, & matutinis accendere, vt nimium importunè voluit Rasis, & temporibus calidissimis, & horis meridianis summi æstus non ita proprium est ignem accendere, quantumuis illis quatuor diei quadris videantur quoquopacto venti exitari, quibus possit aliquis prauus vapor asportari. Maneat igitur statutum debere accendi ignes ex odorifera materia pro aere corrupto emendando; ex quacunque, pro contagio corrigendo, tam æstiuo tempore, & summis ardoribus, quã hyemali; hoc, vt attenuetur crassus vapor, & dissipentur miasmata, illo, vt magis per ignem attenuato aere

re

re facilè possit aliquam succedentem frigiditatem concipere, quod proprium est tenuitatis aeris, vt facile quamcunque alterationem suscipiat. Nimia pariter aeris humiditas, in qua præcipuè videtur consistere corruptiua qualitas, nullo meliori modo emendari poterit, quam igne. Nec mirum est ab igne posse consequi huiusmodi admirandos effectus, quandoquidem Authores grauissimi testatum reliquerunt, etiam musica extirpatas fuisse horrendas pestes, quod præcipuè Homerus testatur; vnde dimanauit vtilissima cõsuetudo in Republica Christiana, vt per hæc tempora calamitosa pulsentur campanæ altissimis turribus appensæ, & horis matutinis, meridianis, ac vespertinis, quarum sono, & concentu, vt etiam impulsu valido, aer ventiletur, & dissi-

pentur pestilentiæ inquinamenta: Sic pariter erit operæ prætium, vt frequenter in ciuitatibus pulsentur tympana, & tubæ non solùm ad aeris concussionem, sed pariter ad animorum recreationem, vndè nascitur adhuc aliud præceptū, quod imprudentium Medicorum dispositione debet consistere, omnem timorem, & metum ab animis hominum extirpandi; timidi enim, & pusillanimi homines faciliùs corripiuntur peste; quod probat congelatus sanguis in dissectis cadaueribus inuentus, qui certè præter causas enarratas, etiam hanc potest agnoscere pro indubitata, grūmefactum fuisse propter timorem, & metum. Nec hæc consideratio in particularibus sistitur, cum negotium sit valdè politicum, & ad Magistratus rectam politicam pertinens, si populus macte sit animo,

&

& audacter, cautè tamen, succurrat socijs, nec inhumanitas horrenda, & crudelis introducatur, qua sese inuicem deserunt more ferarum, quos sanguis coniunxit. His præceptis vniuersalioribus cōsistere videtur vniuersa pestilentiæ præseruatio, vniuersalis sc., quæ ad Principem pertinere videtur, vt hic vereficetur dictum Dauidis dicentis se nō posse esse Regem, quoniam non esset Medicus: ita vt, in peste præsertim conueniat Principes, & magistratus esse Medicos corporis totius Reipublicæ sibi commissæ, non secùs, ac Medicus debet in particulari præseruatione pestis vniuscuiusque curam habere, de qua nunc operæpretium erit dicere.

Præseruatio vniuscuiusque particularis consistet in recto ordine, & regimine rerum naturalium, & non

naturaliũ. quod si addere velimus aliquid ex rebus non naturalibus, non errabimus, vt infra dicemus.

Habeatur cura temperamẽti, virium, & spirituum. Temperamentum summopere venit obseruandum, quia ità, vt diuersitas febris pestilentis, ex diuersitate temperamentorũ insurgere obseruata est, itaut sanguinei, & plethorici in febres synochos, biliosi in ardentes, & causones, pituitosi in febres magis sepultas, & melancholici in associatas horrendis symptomatibus suprà omnes alias species, incidere visi sũt; sic huiusmodi singula temperamenta summam præcautionem habere debent, ne in pestilentiam sibi congenerem labantur. Hoc fiet recto vsu rerum non naturalium, vt infrà dicemus, decenti nim. victus ratione. Vires præcipuè semper debent conseruari, & spiri-

tus

tus recreari omnibus modis, ut sic partes principes possint fortiter repellere hostẽ, & non succũbere leuiter cõtagijs, aut inquinamẽtis pestis. Res igitur nõ naturales causæ sunt adiaphoræ, bonæ bene vtẽtibus, pessimæ. & morbiticæ illis, qui perperam eis abutuntur. Percurramus igitur singulas, & ab aere ineuitabili sumamus exordium. Ipse curãdus, & purificandus, ad imitationẽ vniuersalis præseruationis, in qua præcipuũ fuit, aerem ignibus lustrare; sic in particulari vnusquisq; in proprijs ædibus similẽ curã gerat. Habitentur, quoniã poterit fieri, cõclauia, quæ Aquiloni sint exposita aut saltẽ occidẽti, per fenestras vers' illas Mũdi plagas reseratas. Vẽti.n. qui ab oriẽte, aut meridie flare solẽt, pestẽ secũ deferre nati sũt, & sicciores vẽti, qui ab occidẽte, & aquilone oriũtur, magis resistũt putredini.

Attamen non aperiantur fenestræ antequam sol suprà Orizontem ortus sit, nec quis è domo exeat, nisi duabus horis à sole exorto, quando recta coniectura poterit vnusquisque considerare solaribus radijs purificatum quoquopactò esse aerem, sic circà vesperam nunquam crepuscula extrà domum quemquam inueniant, & vno verbo illæ horæ semper erunt suspectæ, in quibus Rasis iubebat accendi publicos ignes, horæ nim. matutinę, meridianę, vespertinæ, & circà mediam noctem, quia illis horis excitarentur flatus, & venti vniuersales, ex partibus potiùs infectis, aut si non ex talibus, miasmata pestis à vno aere agitato commouerentur. Si dies serena non fuerit satiùs erit non exire extrà domum, nisi ingens necessitas vrgeat, nec vnusquisque his legi-
bus

bus fit alligatus, sed qui secundum proprium temperamentorum noxam recipere possint ab aeris alteratione contraria. Qui fuerint temperamento ficciori, sub humidiori aere minus periclitabuntur; e contrà, qui humidiori temperie prædi-ti sunt, in limite tamen status naturalis à nimis ficco poterunt pati; nec obstat vnumquodque temperamentum in statu naturali debere conseruari similibus, vt sic ficci ficciorie, calidi calidiori, humidi humidiori aere possent recreari, quia in costitutione epidemica, & calamitosa laborat vniuersus aer, non se habet, vt causa naturalis, sed p. n. quantumuis laruetur sub specie cõmunis qualitatis. Deleteria qualitas, & inquinamentum aeris natum est vnuscuiusque temperamenta destruere, tantum abest ab aere tunc sub specie similis recree-

tur natura. Satius erit eandem do-ctrinam ſequi vniuerſalis expiationis, & particularem conclauium aerem ſuffumigiis, & odoribus purificare, vt ſic inſpiretur a prauo miaſmate ſecurus. Mundatum igitur â quibuſcunque ſpurcis conclaue irrigetur ſummo mane aqua limpida, & ditiores vti poterunt roſacea mixta aceto, in quo aliquid camphoræ diſſolutum fuerit, vel poterit flabellum parari ex linteo puro, vt ventiletur aer conclauis, & totũ perfundatur illo odore, ſed hoc fieri debet tempore æſtatis; Nam hyemis tempore debebit fieri irrigatio pauimenti, & parietum vino odorifero, loco aceti, in quo ebullierint cortices citri, & tantillum benzoini. Ad eandem intentionem parantur ſuffumigia vaporoſa ex aquis florum citri, cum belzoino, garyophyllis, cinamomo, &

corti-

corticibus citri, in ollulis lentissimo igni appositis, cazoletas vocant Hispani, & Itali. Huiusmodi suffumigia poterunt variari pro temporis anni constitutione. Sed urgente admodum epidemica constitutione, alio, etiamsi insuauiori, suffitu efficaciori uti consulo, quo possit melius repurgari aer pestilens. Huiusmodi erit suffumigium, quod quouis tempore poterit in usum reuocari. ℞. pulueris pyrij optimi, uncias ij. sulphuris vnc. i. nitri, & camphoræ ana dra. ii. resinæ siccæ, thuris, belzoini ana unc. s. pulueris roris marini, sandalorum, iuniperi ana dr. j. misceãtur probè cum maiori, aut minori pulueris pyrij quantitate secundum eiusdem bonitatem, ex quo impleantur cannulæ ferreæ, & bene comprimatur puluis in dictis cannulis, deinde

accendatur, & absq; strepitu flammam ad instar candelæ efficiet, & fumum non valde ingratum, quo totus aer domesticus purificabiur, & sic singulis noctibus vnusquisq; per singula ædium, conclauia perducat has candelas, vt fumo inficiantur. Pariter singulis diebus in communiori loco domus accendatur ignis etiam æstiuo tempore, ex lignis tamen odoriferis, & salubribus, vt dictum est; hyeme verò continuè accensi habeantur. Inspergantur per pauimentum plantæ calidæ hyeme, qnales erunt ruta, pulegium, mẽthastrum, ocymũ, melissa, maiorana, spica, rosmarinus; æstate vero rosæ, nymphee, flores viticis, & salicis folia, sed quæ breui spacio permutentur, ne putredinem concipiant.

In eundem finem parari poterunt lotiones, quibus quotidie abluantur

manus,

man⁹, & nares, ex radicibus cyperi Hispanici fissis, & cõtusis, & in vase terreo cũ aceto rosato, & aqua rosacea permixtis, quibus in nodulo addatur tantillum moschi; ligni aloes, garyophyllorum, & cinamomi: hyberno tempore acetum sit sambucinum, & trochisci de gallia moschata immisceantur: hoc infusum continuò teneatur suprà mensam ad exitum domus, vt in exitu, & ingressu manus illo liquore perfundat.

Poma odorifera pro diuerso tempore pariter solent parari, ex sandalis, rosis, foliis myrthi, floribus violarum, nymphεæ, ambra, moscho, & zibetho, cum aqua rosarum, & ladano purissimo, & tantillo terebinthi cypiri. Vel pro hyeme, ex styrace, belzoino, rore marino, nuce miristica, ambra, moscho, & zibetho, vino albo odori-

odorifero dissolutis cum ladano, & terebinthina, ut dictum est. Ex eisdem ingredientibus poterunt parari sacculi ex serico intersutis pulueribus, qui regioni cordis securius deferri poterunt appensi, quam remedium illud præseruatiuum à plerisque authoribus adeò decantatum, placentula nim. arsenici, de qua sic Fallopius libro de bubone pestilenti: sed ego non tacebo medicamentum quasi factum à Deo, cuius auctor primus fuit Iacob. Carpẽsis: solet conflari quædam placentula, ex metallea materia, quę seruatur in sacculo tenuissimo propè cor; & qui infecti sunt leuamen accipiunt, qui vero non, præseruantur, & nunquã ægrotant, estque facta, ex arsenici crystallini partibus duabus, & ex arsenici rosagalli rubri parte una, fit placenta rotunda crassitudine unius digiti

cum

cũ albo oui, aut mucilagine tragacã thi, & nõ inuenitur medicamẽtum magis faciens pro præseruatione, quod etiã cõfirmat Simon Simoni⁹ lib. 2. methodi curãdi pestem. Sed præstantius remediũ erit balsamus vitæ cuius vsus, & descriptio infra ponetur suo loco. Sed ista quidem optima sunt, tum ea, quæ suauiter odorata, tum ea, quæ tetrum odorem exhalant, sed nimirum videntur indistincte posita; Audite modũ veræ distinctionis: pro præseruatione particulari vniuscuiusq; hominis præualẽt odorata, & suaue olẽtia suffumigia, quia talib⁹ recreãtur spirit⁹ vitales, & animales, pro vniuersali uero præseruatione, cũ adest aliquod periculũ imminentis uicini cõtagij, aut corruptelæ aeris, & pro auerrũcãdo prauo miasmate iã multo efficaciori modo auerrũcabitur suffumigio grauiter olẽte, sulphureo nim.

nim. & eo, quod ex naphta, rēſina; cāphora, & puluere pyrio paratur, quam aliis ſuauioribus, præſertim ſi compertum fuerit ſeminaria peſtilentiæ pendere ab halitu, & materia vliginoſa, que ſiccioribus iſtis vaporibus corrigi, ac egregiè detergi poteſt: quodſi è contra miaſma peſtilens in corpuſculis ſiccioribus conſiſtat (quod & ſi rarius, euenire tamē poteſt) tūc humidiores euaporationes erunt remedio, quapropter non ita ineptum fuit, cogitaſſe aliquas gentes, putridos vapores ex corruptis canum cadaueribus eleuatos, peſtilentiam abigere potuiſſe, nimirum ſi talis eſſet peſtilentia, qualis à cinere diſsoluti ſiccioris cometæ per aerem diſperſo produci poſset, non eſset certè præter rationē humidius illud, & putridū remedium adaptare: Vnde concluſio huiuſmodi ſtabi-

lienda est in peste nimirum, quæ à uaporibus uliginosis, & humidis ortum ducit sicciora, & grauiter odorem exhalantia suffumigia conuenire: E contra in praua aeris qualitate, sicciori tamen, & à siccioribus seminarijs contaminata, ueluti, quæ à cometa, aut causa aliqua superiori, constillatione nimirũ ardente, et sicca ortum ducit, humidi etiam si putrescentes uapores ad instar suffumigii præsentaneum remedii locum habere. Et hoc est summum arcanum ad cognoscendam pestis differentiam, ut specificum remedium uniuscuiusque pestis, tum curatiuum, tum præseruatiuum artificiali ista coniectura possit elici.

Cibi, & potus hæc norma obsetuetur in præseruatione, ut plerumq; assis magis utatur unusquisque, quàm elixis, & si aliquando, æstiuo præ-

sertim

fertim tempore, elixis utendum sit, illis incoquantur herbæ acetosæ, oxalis nim. trifolium acetosum, omphacium, & similes, quæ si semper non habeantur in promptu, alicuius herbæ uim alexipharmacam possidentis usus sit frequens, scabiosæ nimirum. Secundum, quod uenit circa cibos obseruandum, est, ut toto præseruationis tempore, aut suspicionis contagij repentis, eliminentur uaria, et comixta obsonia; ex multa .n. & diuersa ciborum commixtione, patitur natiuus uentriculi calor, & inde chylus, & sanguis acquirunt dispositionem ad faciliorem putredinem: paucis igitur cibis simplicibus utatur, qui recte præseruari uoluerit. Tertiò obseruet necesse est, ut eligantur cibi boni succi, & facilis concoctionis, pro uniuscuiusque ætate, temperamento, & consuetudine

tudine, aliqui enim sunt robusto uentriculi calore, ut à delicatioribus cibis nocumentum potius recipiant: hos enim robustus calor assat, non elixat. Carnes sint potius temperamenti siccioris, nec teneriuscula animalcula quicquam prodesse possunt: uituli, hædi, uerueces sint grandioris ætatis, non tamen durioris carnis consistentiæ. Aues omnes palustres, & aquaticæ eliminentur. His domesticæ semper præferri debent, & domesticis montanæ, montanis grandioribus auiculæ. A pinguibus omnibus abstinendum, & à lacticinijs, etiamsi non desint, qui summopere laudent butyri usum, & experientia docuit huius alimenti bonitatem in anteacta epidemica constitutione anni trigesimi huius seculi, & uidetur ratio, quia si quis singulis diebus ieiuno uen-

ventriculo butyri recentis, aut sa-liti aliquid sumpserit, non ità offendi posse à seminarijs contagii, quæ dum inueniunt internam ventriculi, & intestinorum superficiem hac pinguedine, & lentore butyri delibutam, non ità se insinuant in poros, & substantiam partium. Crediderim hoc non ità feliciter posse succedere in alia carnium pinguedine, quæ facilè nidorem concipit, euaporat, & exardescit, ventriculum laxat, coctiones impedit, & nauseas excitat, biliosis prætereà naturis pessimum alimentum, quapropter porcina caro, pinguis præsertim, improbatur, sed quia optimi succi, licet crassiusculi, & summopere nutriens cibus perhibetur à Galenõ, eligatur, si fieri poterit, montana, & ex partibus non pinguibus: domestica enim hæc caro, quia spurcitie, &

lu-

lutulentis excrementis nutritur, etiam in corpore humano redolet eius nutritionis principia: Addo, quod sagacissimi naturæ perscrutatores obseruarunt inter quadrupedes, sues facillimè corripi peste; & sic quodammodo, vt sæpè contingit, pestilentia grassatur in genere humano, intactis brutis, excipiantur sues, qui vt in interioribus visceribus summopere assimilantur homini, sic cum eodem communicant in dispositione ad pestilentiam concipiendam. *Pisces* in vniuersum damnantur, quod mirum est, cum ex animantibus soli pisces non corripiantur peste: Sed quia piscium carnes pituitosæ, humidæ, & flaccidæ sunt, facilè subeunt putredinem, præsertim piscium fluuialium, & multò magis aquarum stagnantium: illæ, quia ex luto, & putredine sumunt

alimen-

alimentum, illæ, quia in fluminibus, quæ pręsertim præterfluunt ciuitates populosas, plerumque inijciuntur coaceruata ædium excrementa, quin, & sæpè cadauera peste interemptorum, quæ dum à piscibus comeduntur necessario, & eorum carnes à pestilentiæ inquinamentis non erunt immunes; in fluuijs uerò pagos, et parua oppida alluentibus, solet plerumque linum, et cannabis infundi, et ablui linteamina forsan infecta, quare, & ab istis suspicionibus semper cauendum erit. Pisces tamen maritimi in alto mari degentes, aut in scopulis, permitti poterunt, tum quia in salsedine connutriti contra putredinē pugnare posse videntur; non sint tamen cætacei, aut quos Aristoteles vocat selachitas, qui cutem habent vliginosam squammis carentē, quales

sunt

ſunt anguilla, conger, raiarum variæ ſpecies, &c. Exſiccati fumo, aut aere, quales moluua, haleces, ſardinæ ſalitæ, & angiouæ permittuntur, craſſioris præcipuè palati hominibus. Reliqui delicatiores, quos dicerem cum Galeno ſanatiles, inter quos ſummopere extollitur carpio Benacenſis, aſſi potiùs, ſeu frixi optimo oleo pauco laudantur, quam elixi, neque cum ſalſamentis comedantur, ſed tãtùm cum aceto, aut aceto ſitate limonũ, arantiorum, vel agreſtæ. Panis ſit probè fermentatus, potius bis coctus, ex tritico puriſſimo, & fæniculi, aut aniſi ſemine permixto. Vinum ſit album, & tenue, aut nigrum, & tenue, non valdè generoſum, & eius vſus ſit infrà conſuetudinem parumper. Aqua, vt diximus in vniuerſali præſeruatione, putealis præferatur in peſte

ab aere corrupto procedente; eaque sit cocta aliqua radice scorzoneræ, borraginis, acetosæ, angelicæ, aut similium herbarum contrà pestem pugnantium. In peste vero, quæ à contagio, præfertur fontana ex locis eminentioribus, & magis ab hominum frequentia remotis, quæ pariter poterit coqui, aut in ea extingui aurum ignitum, quod ditiores continuò vsurpare poterunt in quauis aqua, vel etiam vino. Potus à Paręo diuinus vocatus æstatis tempore non displicet, sed hoc seculo Italia inuenit delicatiores multò istis aquas cedratas, quibus per æstum intrà diem quandoque vtendum erit; potio Paræi ex aqua, succo limonum, saccharo, & tantillo aquæ florum citri constabat. Vno verbo præceptum sit magni momenti, & in præseruatione non vltimum,

vt nul.

vt nullus incautè, vel vini, vel alterius potionis nimium ingurgitet, nec supra quantitatem cibi ordinariam fluitare permittat, aut regurgitare potum. Fructus horarij, qui facilè corrumpuntur, omninò eliminentur: præcoces, immaturi, aut nimia maturitate, ex arbore decidentes omninò damnantur. Poma bene matura, pyra, cotonea permittuntur assa, & in magnis ardoribus cerasa acida, & fraga: Sed isti fructus ex plantis humilioribus, & repentibus suspecti sunt, quoties post frequentes terræmotus pestis inceperit: diu enim exhalat lethalis vapor post transactũ terræmotum, etiam longe à partibus, in quibus factus fuerit: aliter fraga laudantur. Cæterum pepones, & anguriæ, nisi in maximis ardoribus, & in temperamentis calidioribus non permittuntur, &

in prædictis etiam parcè, & sic concedantur niue refrigerati, & inspersi sale. Ficus recentes facilè putredinem concipiunt, quamuis à Galeno summoperè laudentur, excellentiorem contra pestem possident facultatem ficus exsiccatæ, & passæ; nam ex eis paratur theriaca illa ficuum adeò decantata, quapropter optimum erit illis vti, refertis nucibus iuglandibus, et tantillo sale. Sic valebunt amigdalæ siccæ, & auuellanæ, nisi pestis, de qua timetur, illud habeat proprij, cerebrum præsertim inuadere, quod aliquibus epidemijs pestilentibus specificum est; tunc omninò abstinendum ab amygdalis, dactylis, & similibus fructibus, qui caput tentare solent, & vaporibus implere; in alia pestis specie, per quam putredo excellit, vsurpentur securè.

curè. Vuæ virides nimium flatulentæ, & sæpè aluum mouent, perniciosam in suspicione pestis, quia non possumus imponere legem fluenti aluo; flaccidæ tamen, quæ iam excrementitium humorem amiserunt, si medioeriter assumantur, innoxiæ sunt, vt passulæ. Cappares summoperè laudantur aceto conditi, saccharo, & passulis corinthiacis; e contrà oliuæ, quæ crassum, & melancolicum succum generant. Conseruæ, & conditi fructus saccaro, aut melle, in assuetis; & non valdè biliosis vsurpari possunt aliquam præsertim gratam aciditatem habentes. Cęterum acerbi fructus aceto conditi, quorum frequens vsus in Italia, pycrocholis summopere prodesse possunt, vt etiam inferioris conditionis homines facilius illis frui possint. Legumina tandem,

si per annonæ caritatem fieri possit, reijci debent, exceptis lentibus, quæ etiamsi prauum, & melancolicum succum gignere videantur, pollent tamen ea facultate virus expellendi per ambitum corporis; quod etiam faseolis aliqui tribuere volunt: patet hæc facultas in variolis, & morbillis, & apud vulgus aqua ex lentibus receptissima, & apud Auicennam, & grauissimos sequaces, syrupus ex lentibus, in febre etiam puncticulari: nec videtur reticendum, quod rusticus in curãda elapsa peste efficiebat; propinabat haustum brodij, ex lentibus, & faseolis, à quo sudor proliciebatur, & multi hoc rustico remedio sanati sunt. Ab oleribus similiter quibuscunq; abstinendum; quia pauco alimento, & multo excremento, & seroso sunt prædita: si quis tamen eis vti velit, incoquat

cum

cum carnibus borraginem, buglossum, oxalidem, cichoreum, scabiosam, quæ tempore pestis oleris, & medicamenti vices subeat; reliqua acetaria prohibeantur. Et hæc de cibo, & potu.

Somni, & vigiliæ summa in præseruatione pestis habeatur cura: si enim quouis tempore, si modum excesserint, malum portendunt, multo magis currente epidemica constitutione corpora disponent, vel ad insignes imbecillitates, vel ad ingentes putredines. Nimia vigilia, quæ fit propter negotia, & studia, debet moderari in recta norma præcautionis: est in vnoquoque, vt hoc faciat; secus de vigilia, quæ ad ignotas causas sequitur, iudicandum est, & semper timendum præiudiũ morbi. Sommi excedentis eadem est ratio, qui procedit, ex mera segnitie, aut incuria rerum

agendarum, prauaque, & pigrâ consuetudine pariter corrigi debet nisi facile quis velit in morbum præceps ruere: at somnus, cuius correctio non est in manu hominis iam morbo[9] dici potest, aut minax futuri contagij. Quomodocunque sint, vigilia excedens spiritus dissipat, vires frangit, imbecillitatem inducit, vt de cætero natura non sit ferendo futuros imminentis morbi insultus: somnus pariter præter modum spiritus incrassat, sensus hebetat, magnopere corpus humectat, & ad futuram putredinem disponit. Sint igitur moderata, & somnus, & vigilia, si differentia grassantis pestis talis fuerit, vt sæpiùs cataphoras, comata, lethargos, & parotides inducat, sit semper sõnus solito minor: è contra si natura pestis nata sit ardentissimas febres cũ delirijs, conuulsionibus, &

car-

cardialgiis efficere, prauior sit vigilia; & hāc obseruent curā homines, quorū tēperamenta ad vtrā partem inclinare videbuntur. Biliosi fugiāt ab excessu vigiliarum, & longiorem quoquopacto somnū impune ferre poterunt: e contra pingues, crassi, & pituitosi fugiant somnolentiā, & quantūuis aliquid vltra consuetudinē vigilauerint, non male habebūt. Non sunt in hoc casu hæc temperamenta conseruanda similibus, quoniam metus est ne vel leuis excessus fiat causa p.n. quæ contrarijs emendari postulat. Somnus sit nocturnus, duabus horis saltē à cœna, nisi alicuius consuetudo efficiat, vt statim ab assumpto cibo committat membra sopori, aliter amissuri somnum per totam noctem. Diurnus euitetur, si fieri possit, nisi inueterata consuetudo tātùm ualeat, ut moderate à prandio dormiatur.

Non sit in conclaui frigido, aut humido, clausæ sint fenestræ, vt obscurus sit locus; minus. n. per obscuritatem disgregantur spiritus, qui continuò sympathiæ motu externam lucem quærunt; quapropter damnatur diurnus somnus, & in non assuetis vires frangit, & stupores inducit. In hoc casu præseruationis, tanta est habenda cura spirituum, & virium, ut eorum, vel minima dissipatio sit pertimescenda. Nocturnus pariter in conclaui sumatur altiori, sed nullis nocturnis ventis, aut sereno aeri expolito. Sint in conclaui fructus odoriferi, & flores, quibus inspirandus aer conclauis purior, & aptior reddatur: fortiora suffumigia dormienti non benè cedunt, sed potiùs nocere videntur: Puluinaria pro tempestatis anni constitutione, aut vniuscuiusque temperamento

mento impleantur floribus odoriferis, rosis, violis, nenuphare, & similibus, vt floribus betonicæ, citri, garyophyllorum, saluiæ, pro hyeme, & hæc de somno, & vigilia.

Motus, & quies res magni momenti pro vitæ conseruatione, quibus par conuenit regula excessus, aut defectus: si enim modum excesserint, malum portendunt. In hac præseruatione sint adhuc moderata ora, & exercitium sit parcius, quam pro consuetudine. Hoc obseruent homines cuiuscunque sint temperamenti, quia nimium, & violentius exercitium maiorem inducit necessitatem aeris inspirandi, qui cum timeatur venenatus, & seminarijs contagij inquinatus, quantò minus de ipso inspirauerint homines, & quanto minus pulmones, & cor inflauerit, melius ipsis erit,

biliosi, & calido corde homines propter maiorem usum etiam naturaliter audactum; crassi, & pituitosi, & stricto pectore propter instrumentum impeditum multum aeris conantur attrahere, ut per frequentiam suppleant impedimẽta magnitudinis; sic utrisq; & quouis tempore erit laudabilior, quies, donec in segnitiem, & pigritiem perniciosam non incurrant. Fiat igitur exercitium, & leuis deambulatio in conclaui bene clauso odoramentis proprijs perfuso; & quibus nõ conceditur ut domi permanere poterint sole exorto, & aerem probe irradiante, deambulent in locis mundis, & pauco aere perflatis, euitando compita, & platearum mæandra, in quibus uentus nimiũ flare consueuit: deambulent igitur in locis statis amplis, & spaciosis, separatis à nimio confluxu hominũ.
Non

Non erit improprium loca quærere maritima, aut circa portus, in quibus odor nauium, picis naualis scilicet, & tormentorum bellicorũ, quæ sæpe explodantur, aerem suffumiget. Fiat deābulatio ante prādium, non tamen ieiuno vẽtriculo, præsertim si quis extra domũ exierit, præoccupet ventriculi lãguorẽ corroborante aliquo, aut cibo spirituoso. Rustici suam theriacam, allium, possidẽt, hyeme præsertim, & etiam ipsis quouis tẽpore. Delicatiores opha vino maluatico intincta vti poterũt securius, quã elixiribus, aut subtilioris substãtiæ cõpositis. Quod diximus de exercitio totius corporis, intelligitur de particulari, ne scilicet artifices nimijs laboribus se defatigẽt, sed timor futuri mali moderetur labores: sic intelligo de liberalibus artibus, ne sc. concionatores, causidici, oratores, et alij, qui vocem

exercent, nimium agitentur in exprimendis affectibus, ne nimium scilicet incalescant, & necessitas augeatur attrahendi aerem externũ. Vno verbo, caueat vnusquisque ab anhelatione quacunque, aut agitatione pectoris propter rationes dictas.

Excreta, & retenta, si vnquam pro vitæ conseruatione sunt obseruanda, nunc in præseruatione tanti mali summæ curæ debent esse. Vniuersalis transspiratio præcipuè requiritur, quæ rectè fiet, si concoctiones primæ probè fiant: sic colligantur inter se res omnes non naturales, à perfecta concoctione nascitur necessarium effluuium; illa iuuatur motu, & quiete, somno, & vigilijs moderatis, & facili ciborum qualitate. Si hoc effluuium impediatur, morbus est in propinquo. Excitetur igitur leuibus frictio-

ctionibus, suaui scalptu, inunctione amygdalini, nàm olei inunctione cõtinua vitam produxerat Græcus ille Philosophus in longæuam ætatem, vtendo interius melle, exterius oleo; detersiuo vno, quo primarum viarum excremẽta quotidie deturbaret, nec permitteret adhærere parietibus; altero discussiuo, vt reseratis poris continuò efflueret vaporosum coctionum recrementum. Sic præcipitur in hac præcautionis parte, vt narium, oculorum, aurium, oris, faucium, & pectoris excrementa quotidie emunganuur, & facta ad exitum lecti leui totius corporis frictione, pectine eburneo pluries retrorsum ducatur capillitium. Abluatur tota facies, non caput, nec retro aures aqua frigida tangat emunctoria, quod alio tempore summæ vtilitatis esse solet ad fluxiones inhibendis;

bendas; ſed hoc tempore ſuſpicionis contagij valdè perniciosſum, imò eſt operæ pretium emunctoria membrorum nobilium, in quibus ſolent bubones apparere, ſingulis diebus fouere vino albo generoſo tepido. facto leui fotu, aut ſuaui frictione, non tamen attractione vlla violenta. His peractis, ventris, & veſicæ onera deponantur, & ſi quis aſuetus fuerit vſui Nicotianæ, hoc tempore non abſtineat, ſed mediocriter illa vtatur vel in puluere, cui aliquid radicis anthoræ, angelicæ, tormentillæ admixtum ſit, vel in fumo, ſi tamen fumus hauriatur tali inſtrumento, vt per aquam aliquam cordialem pertranſeat fumus hauriendus, curioſum, & vtile inuentum. Eſt vſus tabaci conſueta quædam euacuatio, & (vſurpabo Hippocrati. cum illud, 6. epid) abſceſſus, vt fi-

[illegible],

ſtulæ qui impune non poſſunt ſiſti, ſi diuturnitatis habitum contraxe. rint, ut fiſtulæ. Non ſecus ſe ha. bet inueterata podagra, quæ ſi hoc tempore inducias præiiterit, non tutum eſt, lotionibus pedum, & frictionibus erit excitanda, quamuis videatur arduum, & præter rationem morbũ excitare velle pro præcautione alterius; ſed tanta eſt ferocitas peſtilẽtiæ, vt eius ſuſpicio, etiã morb' ſit, & morbi recte morbis curantur; cuncta tamẽ moderabitur Medici prudẽtia, qui poterit in vno quoq; præcognoſcere maiorẽ, vel minorẽ ad morbũ diſpoſitionẽ. Sic, qui aliquando cauteria geſtauerit, nec tũc habeat, iterũ aperiat: qui hæmorrhoides ſuppreſſas habẽt, pari. ter eas excitabit, vt mulieres men. ſtrua; ſic quæcunq; alia euacuatio hæmorrhagiæ, ptialiſmi, lachrima. rum, & ſimiles, veniũt prouocãdæ,

aut.

aut deriuatio propria quærenda, quæ defectum supplere possit. Retenta tamen non sunt spernenda, si nimium liberalius effluant, quæ retineri debent, ne simul cum illis ingens fiat spirituum iactura, & continuo in medicamentis familiaribns, quibus plerique vti solent in præcautione pro aluo emolliendą, semper aliquid subadstringẽtis adnectendum erit, e. g. pillulis Ruffi pestilentialibus, quæ constãt aloe, mirrha, & croco, rebus quibus etiam cadauera à putredine conseruantur per balsemationem, non mirum si etiam intus contrà pestilentiæ corruptionem valeant. Addatur boli Armenæ, quinta aut sexta pars, & syrupi de acido citri q. s. ad formandas pillulas. Hæc igitur consideratio est tanti momenti, quanti praua, & pestilens aeris dispositio illud habeat pro-

prium,

prium, & singulare, vt corpora laxet, corrupta ante omnia retentrice facultate, quod obseruarunt Antiqui in febribus pestilentibus colliquatiuis, in hæmorrhagijs horrēdis, & lethalibus, in diarrhæis pestiferis, & elapso seculo infausto sydere Britāna, & tota Europa in sudore Anglico: Non contemnantur igitur effluuia eorum, quæ retineri debent, nec suppressiones eorum, quæ euacuari, quibus adnecti rectè potest.

Venus, cuius frequentior vsus apprimè noxius in præseruatione pestis; quapropter prudentissimis legibus cautum est, vt hoc tempore claudantur, aut euitentur lupanaria. Nihil in victus ratione pestis prophylactica moderatius tractādum; si in reliquis rebus naturalibus excessus nocet, in Venere, vel ipsa moderatio: exoluuntur nimirum

spi-

ſpiritus, quibus ſtipata nobiliora viſcera poſſent reſiſtere inſultui venenatæ qualitatis. Obſeruatum eſt per peſtes uiolentiſſimas mulieres ſacro cultui dicatas, & caſtitatem profitentes minus lædi, quam cæteræ. Venere ſolidæ partes languent, deſtitutæ ſuo rore analogo ſeminali materia. Si hæc corrumpi contingat, aut agitatione alterari partes ſolidæ non impune ferunt. Teſtimonium veritatis afferant inguina, & adenoſæ iliæ partes iecoris emunctoria, quę ſimiliter ſolent affici per luem veneream, & peſtiferam. Bubones vtrique morbo ſuccedunt: virulentiores, aut minus virulenti pro luis differentia, ſed analogia inſignis, & proportio quã maxima. Fugiat igitur à Venere quã fieri poterit, cui cura fuerit pręſeruatio à peſte, & qui minus illam ferre poterunt

erunt

erunt excarnes, ſicci, aduſti, melancholici, bilioſi, & multo minus ſi ſuſpicio aliqua fuerit anteactę uitę parum caſte. Sanguineis coniugatis permitti poſſunt, & pituitoſis, quia morbis à pituita Venus utilis: & in his excretorum regula, & plenitudinis imminutio poterit à moderata Venere requiri, quia inde alacriores fiunt depoſita parte ſarcinę, qua premebantur: quibus per Religionem non permittitur uſus ueneris, abſtinentia maior, & ſanguinis miſſio suppleat, præſertim ſanguineis.

Animi paſſiones maxime in pręſeruatione conſiderentur: ne quis exceſſiue permittat ſe ab illis uinci: mediocres inter remedia poſsũt cõnumerari, ut & aliqua pro sũma prudẽtia haberi poterit. Ita per animi paſſiones sãguis, & ſpirit' agitãtur, ut nullo alio inſtrumẽto euidẽtius ſuos

effe-

effectus exerat anima, ita cum illis coniungitur, ut antiquorum multi sanguinem ipsum crediderint animam. Commouetur sanguis per erubescentiam; efferuescit per iram; spargitur per gaudium, per spem reuiuiscit; torpet per tristitiam; per metum congelatur, & sæpè ad mortem grûmescit; ita ut in imminente pestilentia nulla passio magis homines prosternat, quàm metus, & in sanguine congelato, & torpente imprimitur statim sigillum dispositiuum ad pestilentem qualitatē. Prudentia est metu moderato, & sagaci prӕcautione cauere à frequenti hōminum, infectorum præsertim, comercio; sed immoderato timore omnino humanitatem exuere crudele est, & ferinum, quod non impune quidem ferre possunt, cum citius meticulosi corripiantur: qua-

propter

propter in hac passione habeatur summa consideratio, & Magistratus, ac Medicorum intersit, mentibus insinuare plebis non adesse in morbo contagium adeò perniciosum, ut omnes alacri stent animo, nec se se inuicem deserant, & ne uniuersalis consternatio populum premat. Aliæ passiones erunt pariter moderandæ, & multis per contraria succurrendum. Oportere iram inferre, dicebat Hippocrates, pigris, & frigidis temperamentis, vt per efferuescentiam iræ, sanguis stagnans inciperet ventilari. Debilitatis, ac fractis metu Mantuanis (annus erat seculi trigesimus toti Insubriæ paribus Martis, ac mortis ruinis infaustus) ultimum fuit atrocis pestis remedium, ultimus belli furor: narrabo: Obsidebat Germanus miles illibatam Vrbem, irruit, capit, depopulatur:

pulatur: Crudelior protinus inuadit passio animos obsessorum; mutatur in terrorem metus, & sanguis (mirum dictu) quem in cordibus afflictorum congelauerat timor, nouo ac improuiso fortunæ insultu agitatus, furentem pestem expellit, frangit, moderatur, ut ab eo die extingui cœpit, quæ prius indesinenter grassabatur: tam certum est passiones posse passionibus esse auxilio. Alacritas demum moderata, modesta, & christiana sit: nulla enim passio magis harmonica, & musicæ amans; qua curatas antiquitus fuisse pestes suprà ex Homero annotauimus, nec aliud magis animi motus ciere, et excitare ualet, quam musica cuius testimonium Terpander fuit, et bellicæ tubæ quotidie ostendunt.

Vt his passionibus componuntur cordis spiritus, sic alexipharmacis

præ-

præseruatiuis viuificantur, & corroborantur ad propriam tutelam, & defensionem contrà hostem. Huiusmodi medicamenta dupliciter diuidi possunt, in euacuantia sc., & corroborantia. Multa sunt corpora, quæ pro præseruatione indigent aliqua euacuatione, secùs facilè lapsura in morbum. Qui fuerint valdè plethorici, sanguinei, bene carnosi, & robustis carnibus, videntur non solùm ferre posse, sed etiam exposcere sanguinis missionem. Qui fuerint valdè assueti, vt singulis annis subeant leuem aliquam expurgationem, videntur non posse impunè abstinere ab illa, tanta est vis cõsuetudinis. Sed neuter status horum, si morbus immineat, & in ciuitate grassari incipiat, medicamentis, aut sanguinis missione agitetur, quies semper erit

melior: Reliqui, qui non fuerint plethorici, aut asſueti multò minus commoueantur: aſsueti maiori diligentia regulas præcautionis ſeruent: nam in illis leuius erratum erit pernicioſum: quapropter ſi in ciuitate, qua degunt, nullum ſit peſtilentis morbi rudimentum, verno præſertim tempore, plethorici ſanguinem euacuent, præſertī ab hæmorrhoidib⁹, & aſſueti expurgari, leuiter lenienti, & ſubadſtringenti medicamento euacuentur. Hic habebunt locum pilulæ illæ de tribus adeò celebratæ, ſed cōpoſitæ erunt adhuc celebriores, quæ ſic componuntur, ℞ *aloes ſuccotrinæ. vnc. i. myrrhæ. croci. ana dr. ij. agarici trochiſcati, & rhabarb. opt. ana vnc. i. s. camphoræ dr. i. ſantalorum citrinorum, & roſarum rub., corallorum rub. an. dr. i. dictamni cretici, gentiana,*

na,

na, Zedoariæ, tormentillæ. ana scr. iij. F. maßa cum syrupo de acetositate citri, cuius dr. s. sumitur ad ingressum lecti, vel singulis diebus, vel alternis. Simili facultate, & potiori energia pollent pilulæ Valentinæ contra pestem, anno 30. huius sæculi Venetijs summoperè expertæ: recipiunt radicis carlinæ, tormentillæ, corallinæ, scorzoneræ, angelicæ odoratæ, zedoariæ, contrahieruæ, scordij. *ana dr. ij. boli Armenæ orientalis dr. iij. c.c. præprati, fragmentorum 5. pretiosorum, lapidis bezoar orient., coralli rub. præparati, mastichis, succini an. dr. i. aloes succotrinę vnc. iiij. myrrhę electę vnc. ij. croci orient. vnc. i. mirobalanorum citrin. vnc. i. s. m. & cum aceto rosato. f. massa, & formentur pilulæ ad instar ciceris. Dosis sit pilula vna quo-*

die ad præcautionẽ, vel mane, vel vespere ante cænam :& si soluere opus fuerit, à dr. i. s. ad dr. ii. s.
Cæterùm hoc aduertendum in quibuscunq; purgantibus, aut lenientibus, quæ gratia præcautionis vsurpantur, aut etiã ratione curationis alicuius alterius morbi euenientis tempore suspicionis pestis, vt semper immisceãtur aliqua alexipharmaca, & si poterit sciri verum alexipharmacum pestis currentis, de illo tantillum in medicinis tum purgantibus, tum alterantibus commisceatur, quicunque morbus sit, qui tunc inuasert : nam tempore imminentis pestis, aut grassantis in regione, aut i ciuitate, quicunq; morb⁹ deber curari, ac si esset pestilẽs, quoniã facile agitati humores succũbũt virib⁹ causæ vniuersalis.
Et quia difficillimum est scire, & penetrare verum specificum

remedium grassantis Epidemici morbi, quod in inenarrabili gradu putredinis, & specifica seminariorum substantia, & aeris inquinamento consistit, cogimur varia, ac diuersa medicamenta experiri; & quia, vt Plinius ait, experimenta non nisi per mortes fiunt, idcircò ferox iste morbus hoc habet proprij, ut multos inuadendo plures interimat, quia deest, quod opponi poterit exurenti malignitati.

Rectè igitur erit consultum, vt in praecautione spatio plurium dierum singulis diebus diuersum aliquod assumatur medicamentum, quod si posset esse simplex, magis arrideret, quia contingere potest, vt ex mixtura diuersorum simplicium non resultet, quod optamus, & facultas vnius interturbet alterius efficaciam, quod in venenis obseruatum est; quare

non in alexipharmacis ? Erit igitur operæpretium, vt vno die assumantur tria, vel quat. grana lapidis bezoardici orient. in vino albo generoso. secunda die *vnc. i. aut ij.* aquæ scorzoneræ, in qua lapis Malacensis per bihorium remanserit infusus: Tertia vt radix angelicæ odoratæ continuò in ore gestetur, & mandendo deglutiatur saliua: Quarta vt radicis contrahieruæ puluerisatæ dr. s. hauriatur in aqua cordiali aliqua: Quinta magisterium corallorum: Sexta margaritarum: Septima cornu monocerotis granum vnum aut ij: Octaua cocci maldiuensis tenuis limatura scr. 1. quan. His peractis iterùm repetere pari ordine. Sed non est prudentis Medici omnino eliminare admirandas Antiquorum compositiones, quas tanti fecerunt Principes Medicinæ:

the-

theriacam magnam Andromachi, cuius parua dosis hyemis tempore, & in adultis, ac pituitosis vsurpari debet: Secundo electuarium adeo decantatum à Galeno 2. lib. de antidotis cap. 8. de sanguinibus dictum: Tertio diascordium Fracastorij lib. de morbis et cõagiosis: Quarto electuariũ de nucibus, cuius minor descriptio constat ex ficubus, sale pauco, & folijs rutæ contusis, quod rusticis, & infimæ sortis hominibus erit facillimum remedium; maior compositio sic habet, ℞. nucum siccarum, caricarum ana num. XV. rutæ, manip. ij. absynth. chamomæli, scabiosæ ana m. i. aristolochiæ rotundæ vnc. i. s. aristolochiæ longæ vnc. s. tormẽtillæ, dictamni, pimpinellæ, baccarum lauri ana vnc. ij s. florum borrag., rad. capparorum c. c. vsti, macis, myrrhæ, boli armenæ orien-

terrę sigillatæ ana dr. III. salis marini dr. I. s. puluerisanda puluerisentur, & cum melle despumato fiat electuarium, cuius dosis sit dr. I. s. cum vino: Quinto die pulueres contrà pestem: frequentiores sunt, quos describit Forestus lib. 6. obseruationum obseruatione 16. in scholijs: Sexto antidotum Matthioli, quam describit ipse 5. lib. in Dioscoridem post descriptionem sui olei de scorpionibus, cuius etiã admirandus erit vsus in peste, & eius præcautione, exteriùs illita: Sept. nostrum magisterium, seu sal citri, descriptum, in lib. de febre puncticulari: Oct. theriacam nostram smaragdinã, aut quã descripsit Sepulueda insignis author, & huius erit præcipuus vsus in pueris, quibus frequẽs theriacæ magnæ possit esse suspectus; & in ijs, qui capite sunt imbecilliori, qui-

bus

bus ingruens pestilentia potest cerebrum præcipue inuadere : reliquis diebus poterunt vsurpari electissima medicamenta ab Epiphario Ferdinando relata; qui author etiam hunc ordinem sequitur : inter præstantissima refert suum syrupum angelicum, suam aquam vitalem, suum electuarium contrà pestem, prætiosissima medicamenta ; nec erunt contemnenda electuaria de scorzonera, & de vnicornu, dicata Philippo Regi Hispanorum secundo, saluiæ Imperialis, quas describit doctissimus Andreas Alcazer Medicus Salmanticensis, quæ paulo post apponentur vnicuique prædictorum. Tandem pro corollario referam præstantissimum medicamentum nuperis annis expertum à copiis Venetis in Bello Dalmatico quod balsamum vitæ vocabant.

Recipit olei iunip., terebinthinæ ana vnc.VIII. ol. ſuccini vnc.I. a. loes hepaticæ, olibani, myrrhæ, fl. ſulphur. ana vnc IIII. marg. præparatarum, coral.rub. præpar, cubebarum, cardamomi ana dr. II. croci orient. vnc.s. eſſent. angelicæ dr.I. contundenda contundantur, & miſceantur ſimul, & reponantur in urinali apto, deindè adde ſupraſcripta olea, & miſ. ſimul optimè; crocus tamẽ orient. debet parũ humectari, & poni in roſtro alembici, vt ſpititus per illum poſſit tranſire; & ſi aliquid illius miſceatur cum prædictis rebus, nihil nocebit. Alembicum optimè lutandum eſt, & claudendæ rimæ, ne quid exhalet, mox incipe gradatim diſtillationem per cineres moderato igne, vt tantũ guttatim prodeat. Primò incipit exire ſpiritus, ſeu balſamum nitidum, & citò mutatur in

rubeum, quapropter ſtatim mutari debet recipiens, ne miſceantur, & nitidum balſamum ſolum, & ſeparatũ habeas, deinde paulo poſt adhuc mutabitur liquoris color, & exibit niger; tunc muta iterum recipiens, & augendus ignis, vt aliquid nigri exeat. Rubeus ſpiritus non aſſumitur per os, nec niger, ſed in morbis cutaneis vſurpatur exterius. Primus ſolùm habet virtutes admirandas tempore peſtis, ſi ſingulo mane ieiuno ſtomacho aſſumantur duæ, vel tres guttæ cum tantillo vini maluatici, mire præſeruat à contagio: morbo oppreſſus ſumere debet ſeptem, nouem, aut decem guttas, & ſtragulis cooperiri, vt eliciatur ſudor, non tamen dormiat; etſi bubones exierint, illo vtatur inungendo partem affectam, & applicando linteolum in eodem ſpiritu madidum, foras

namque attrahit virus. Præterea solet asseruari seorsim in multis paruis phialis, ut singulo mane una in cubiculo aperta relinquatur, ut exhalet spiritus, & aer illo odore, etsi graui, & potiùs fœtido, inficiatur, quo pestilens aura pellitur, ac dissipatur.

Non uidetur reticendum balsamum chymicũ doctissimi Henisij, quo vsus est author in hac ciuitate Veronæ, quæ ipsum tanquàm peritissimum pro curanda peste anni 30. huius sæculi, quæ leuiter ipsam depopulabatur, accersiuit: componebat ex oleis camphoræ, succini, & cort. citri debito modo præparatorum partibus æqualibus; mixta reponebat in vitro optime munito in lenissimo balnei calore, donec perfectissime inter se vnirentur, & oleũ aurei coloris euaderet, cuius duas aut tres guttulas in vino, aut

iure pro præseruatione exhibebat singulis diebus, pro curatione plures pro ratione acutiei morbi, & hæc satis de peste, & eius præseruatione.



DESCRIPTIO

Syrupi Angelici.

℞. *cort. citri,*
borrag.
buglossæ;
Caryophyllatæ,
melissæ
hepaticæ
prassij,
hyssopi
acetosellę,
cichorij,
scabiosæ,
cardui benedicti
pimp. an. m. j. s.
endiuiæ, *(unc. s.*
acet. 4. s. com. mai. frig. ana
rad. capparum. *dr. iij.*
rad. ros. rub. sic.
rub. ipco mpl. an. dr. iij.
senæ

sene
polypod.
thymi
epithymi. ana. m. j. s.
Rhab. el. vnc. s.
succi fumaria
absinthij,
plantag.
ebuli. ana vnc. s.
mirobal. cheb.
citrin. an. dra. ij.

Coquantur hec omnia secundum artem in aqua, & adde sacch. op. q. s. f. syr. Angelicus, cui adde in fine succi citri vnc. iij.

Antidotus ex sanguinibus a Galeno descripta 2. de antid. cap. 8.

℞. *Sanguinis sicci anatis maris,*
anatis fœmina,
anseris,
hadi,
ruta sylvestris,
sem. fœniculi,
Cumini,
anethi,
napi sylvest. seu rapi. an. dr. iij.
rad. gentiana,
trifolij,
schananthos,
thlaspis,

vis

rof. sic. an. dr. iiij.
Carpobals. gr. 20.
Ireos,
Croci,
Rhapont.
myrrhę,
zinzib.
mastich. ana dr. vi.
benzoi,
asari
ammoniaci. ana dr. iij.
macis,
agarici, ana dr. ij
piperis albi, & longi,
Costi,
phu,
anisi,
cinnam. ana dr. ij.
stęchados. dr. v.

Fiat tenuissimus puluis & cum quadruplo mellis sp. & despumati commisce, & vase argenteo seruetur veluti thesaurus reconditus vitę; curat enim pestilentiam, & quamuis epidemiam, preseruat ab illa.

Aqua

Aqua vitalis.

℞. *Flor. citrangul. bonam quantitat.*
fol. tenerorum quercus,
Cardui benedicti,
scabiosæ
acetosellæ,
sonchi,
saluię,
maiorane,
flo. lauendulæ,
absinthij,
roris marini,
tussilaginis,
ros. sic. rub.
scorz.
melissæ,
pimpinellæ,
borrag.
fol. arbuti,
lenticularis,
rutæ. *ana m. iij.*
cyperi nostratis,
rad. angel.
bacc. lauri,
iuniperi,
cortic. citri,
tormentillæ,

zedoa-

zedoariæ. ana vnc. 1.
cinnam.
cariophyll. ana vnc s.

Destillentur omnia in balneo Mariæ, & aqua seruetur.

Diascordion. Fracast.

℞. *Cinam.*
Cassiæ ligneæ. ana vnc. s.
Scordij vn. 1.
dictamni cretici,
tormentillæ,
bistortæ,
galbani. ana vn. s.
Opij dr. ij.
Styracis dr. iij s.
acetosæ dr. i. s.
gentianæ vnc. s.
boli ar. or. præp. vn. 1, s.
terræ sigillatæ vnc. s.
piperis longi,
zinziberis ana dr. ij.
mellis albi depurati lib. ij. s.
vini aro. lib. s.
sacch. ros. lib. 1 m.

Anti-

Antidotus contra Peſtem.

℞. *rad. Imperatoriæ,*
biſtortæ
tormentillę,
ażę.
dictamni,
ſcorzon.
valerianę
Carlinæ,
ariſtol rotundæ, & longæ,
Carioph.
gentianæ *an.* *dr. ij.*
fol. cardui ſancti,
ſcabioſæ,
pimpinellæ *an.* *p. 1.*
myrrhæ,
Scordij,
boli arm. or. prępar.
ſem. acetoſæ,
zedoariæ, & citri an. dr. 1.
Simplicia piſtentur, & adde
ſucci cap.
alliorum,
arantij. *an.* *q. s.*
Croci *dr. s.*
Diſ-

Distemperentur cum dictis succis, deindè cum melle despum. q. s. f. e. Dosis esto à dr. 1. ad dr. ij.

Puluis.

℞. *Myrrhę electa*
ligni Aloes
mastiches.
terrę sigillata — *ana dr. ij.*
Boli Armenę or.
Garyophilo.
nucis moschata
Croci. — *ana dr. 1.*
m. f. pul. subtiliss. Dosis scr. 1.
sumendus in vino albo.

Confectio Saluia Imperialis dicta.
Temperata.

℞. *Xylobalsami,*
carpobalsami,
folij indi,
cinnamomi,
Cassię lignea,
Doronici,
mastichis, — *ana scr. ij.*
ellebori nigri — *scr. iij.*
Mellis optimi q. satis confice ad modum opiata.

Alia.

Alia Saluia Imperialis, pro temporibus, & corporibus natura frigidis.

℞. *Hyoſciami,*
piperis nigri.
rad. gentianæ,
ellebori nigri,
Opij. *ana* *dr. ij.*
Euphorbij. *dr. I.*
Croci *dr. ij.*
xylobalſami,
Carpobalſami,
folij Indi.
Cinnamomi,
Caſſiæ ligneæ,
ligni aloes,
doronici,
macis *ana dr. ij.*

Cum ſufficienti quantitate optimi mellis depurati conficit. S.A. poſt ſeparationem puluerem commiſceto. Verum hæc confectio, non niſi tribus iam elapſis menſibus exhibenda eſt, & in vitreo vaſe in farina hordei ſepeliatur, & omni die argenteo cochleari agitetur, cuius doſis à dr. 1. ad dram. ij ſit. Valet hæc compoſitio tempore peſtis ad cor confortandum, & à veneno tuendum.

Puluis

Puluis Fr. Ioannis Baptistæ Erimitani.

℞. *Tormentil.*
Santal. rub.
dictamni albi,
cornu cerui vsti
boli armeni
sacch. albi. *ana* *dr. I.*
marg.
Aristoloch. rotundæ
cinnamomi,
gentianæ
corall. rub.
albor. *an.* *dr. s.*
camph. *scru. ij.*
f. pul. subt., cuius dosis dr. s. pro vice.

Acetum Magistrale Bezoardicum.

℞. *Sulphuris*
rutę
alliorum
garyoph.
croci
nucum iugland. *an.* *vn. I.*
aceti acerrimi *lib. iiij.*
Infundantur, & seruetur acetum pro vsu, in quo intincta offa panis sumatur singulis diebus.

Eli-

Elixir Præseruatiuum Efficacissimum.

℞. *Aloes hepat.*
cinam. opt.
myrrh. ana d. iij.
garyoph.
macis
ligni aloes
mastichis
boli Arm. ana dr. I. s.
sulph. purif. dr. iiij.
roris marini dr. iij.

Macerentur omnia in aq. ordinaria, & S. A extrahatur liquor. Dosis guttæ tres, vel quatuor pro vice in aq. card. bened. vel scorzonera.

FINIS

